TRACTATUS APOLOGETICUS PRO STATU ROMANÆ URBIS, ET CURIAE.

AUCTORE

FRATRE PAULO CIERA VENETO AUGUSTINIANO SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRO.



SENIS, Apud Syluestrum Marchettum.

MDCVIII.

Superiorum Permissu.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D. D. HIERONYMO BERNERIO EPISCOPO PORTVENSI AB ASCVLO NVNCVPATO S. R. ECCL. CARD. AMPLISSIMO.

EA mihi semper opinio fuit (Illustriss. ac Reuerendiss. Domine) eaque animi sententia, non inanibus, vt ita dicã, aut tenuioribus auris cõcepta; verum firmioribus symbolis, & rerum ordine, ratisque temporum vicibus alta iugiter, innixa, & aucta: Romanæ ingenuitatis causam, Christianę vniuersitatis causam esse, proinde spectare ad omnes qui sunt Christi terra, mariq; vt dicitur tueri partes eius, velis, equisq; his obsistere, qui Romanos in gloria celebres in maiestate

præditos, obtrectationibus impudẽter incesſere non verentur. Equidem fateor (CARDINALIS AMPLISSIME) haud vllum hodie ſuperſtes eſſe ſanctimoniȩ, & pietatis ſpecimẽ, quod (quantum in me fieri potuit) cauta experientia, atque accurata animaduerſione non didicerim Romanam Curiam honeſtare, eamque quamuis ab impuriſsimis Sycophantis continuò vellicatam glorioſam prorſus, ſpectabilem, perennisque commendationis efficere. Scio opus hoc quod aggredior, opus transactis ſeculis intentatum, impar eſſe meis viribus; ſentio terrere magis, quam alijcere: at vincat virtutis amor; mensque prompta viribus reſurgat, quando ipſam excitat perſonarum præſtantia, ad excogitandum quid bonũ, quid honeſtum, quid commendabile; ardua tollet ſtrenua ſedulitas; comes erit conſtantia; ducet manus perceptio, ſuggeret animo, dictabitque opportuna conſilia veritas, religio tandem totum coæquabit hominem ad ſcribendum. Non dedignetur obſecro Amplitudo veſtra, quod ſuo nomine illud qualecumque ſit exornare & inſignire decreuerim; Suaſit enim eximiorum meritorum veſtrorũ multiplex ratio; coegit veſtræ dignitatis, & ſingularis ſpectabilitatis obſeruantia, nam ita

vltrò

vltrò facile fieri posse existimaui ipsum nacturum fore, obtenturumue aditum ante conspectum vestrum; quem benignè præstare iterum rogo Amplitudinem vestram, atque exoro; quam Deus Optimus Maximus per longa téporum spacia incolumen seruet. Valeat.

Dat. Senis Idibus Maij. 1608.

Illustriss. ac Reuerendiss. Dominationis vestræ

Humillimus seruus

Frater Paulus Venetus Augustinianus.

AVCTORIS CARMEN HEXASTICVM.

Νῦν Ῥώμην φαύσκειν ἐρυσίπτολιν ἄρξομ' ἀτιχνά

Ἣ κλεῖς ἔσχε γέας, κλεῖς δ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος

Κοιρανίουσ' ἔμφρων, κυδρὴ πρεσβῦτιδα λαῶν;

Καὶ μάκαρ' οὖσ' ἐδίδαξεν ἐπὶ χθονὸς ἀγλαὰ ἔργα

Τ ... δ' αἰεὶ δὴ σοῦ κατ' εὐχαῖς ὑμνεῖ πάντ' ἐρέοντα

Αἰνερῶν ἐνδόξων ὥσει νύκτας τε καὶ ἦμαρ.

EVGENIVS CABALLINVS CARP. IN AVCTOREM.

TVnc cum Christicolæ firma consistere sede
Non potuere pij, gensq; ea pauca fuit
Hostiles morsus Paulus compressit inanes
Sicq; Dei templum clarius enituit.
Cernitur ast alius post secula longa peracta
Paulus qui verba, ac illius ora refert.
Qui Romæ rerum dominæ tutatur honorem
Sublimemq; facit, quem impia turba premit
Hunc illi Paulum linguam, pectusq; dedisse
Crediderim huic illum verba, animumq; dare.

INDEX TITVLORVM CAPITVM.

DE ORIGINE VRBIS ROMAE, ET EIVS PRINCIPATV.

CAPVT PRIMVM.

FLAMMIS absumpta Troia Æneas cum patre Anchise, et aliis sociis, e Græcia discedens post lõgam suæ fugæ, & diuturnam nauigationem in Latium quod est pars Italiæ venit: ibiq; accepta Regis Latini filia Lauinia in matrimonium post obitum soceri regni factus est hæres. Successorem filium habuit Ascanium, à quo primùm cepit imperium Albanorum per cessionem auitæ urbis quam fecit Lauiniæ matri. Cui regno præfuerunt reges post eum tresdecim, usque ad Numitorẽ, qui fuit auus Romuli, & Remi fratrum. Hi urbem ROMAM. in loco propè Tyberim flumen in quo iussu Amulij propter adulterium Rheæ Syluiæ matris expositi olim fuerant, condiderunt; ibiq; regni primordia statuerunt; Sed quoniam (vt inquit Seneca) Regnum non capit

Alba ciuitas ab Ascanio est dita tempore Salomonis. D. Aug.

duo idcirco ambo gloriam de Romanæ Reipublicæ institutione quærentes, quoniam ambo tantam quãtam si vnus esset habere non poterant, alter aduersus alterum arma commouit; at Romulus præpollens uiribus, & ingenio Remum fratrem extinxit, atque ita ciuitati, ac ciuibus Romanis nomen dedit, vnde Lucanus

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Romam a Roma captiua nomẽ traxisse scribit Solinus in sua hist. c. 2. Alij à Rhomi Latinorũ Tyranno qui expulit Tyrrhenos. Alij à Rhuma hoc est à mãma Lupæ, quã suxerunt Romulus, & Remus. Alij Romam Græcè Ῥώμη. i. robur, vis. Arist. 2. Rhet.

Sed postquam res Romanorum legibus, moribus, agris aucta satis prospera, satisq; pollens uidebatur, sicuti pleraque mortalium habentur, inuidia ex opulẽtia orta est; & quoniam maximè uerum est quod dicit Aristoteles τὸ συγγενὲς οἶδεν φθονεῖν. i. nouit inuidere ipsa affinitas; idcirco reges, populiq; finitimi bello eos tentare, pauci ex amicis auxilio esse, nam ceteri metu perculsi longè à periculis aberant. At Romani domi, militiæque intenti festinare, parare, alius alium hortari, hosti bus obuiam ire, libertatem, patriam, parẽtesq; armis tegere. Post vbi pericula virtute propulerunt, socijs, atque amicis auxilia ferebant, magisq; dandis, quam accipiendis beneficijs amicitias parabant. proinde Virgilius.

Æneid. 6.

Excudent alij spirantia mollibus æra
Credo equidem viuos ducent de marmore vultus,
Orabunt causas melius, cœliq; meatus
Describent radio, & surgentia sydera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Deceter his artibus Roma creuit, atque adea maiestatis:

lestatis culmina euecta est, quę nunquã attingere valuerunt Aßsyrij populi feracißimi, sęuißimi Persę, Medi robustißimi.

Hæc Vrbis ROMAE, *atque Romani imperij origo fuit, rustica quidem, & contempta (inquit Pompon: Mela) sed splendidus cultus superadditus veluti alterum fecit opus. Armorum vi, virtutumq; constantia, & legũ ęquitate effrenos populos, gentes asperas, nationes varias, moribusq; inter se dispares, ac easdem remotißimas suæ subegit ditioni, & ut ita dicam mundum ferè vniuersum suarum legum freno compescuit mirabiliter. Idcirco Imperator Iustinianus Fęlix (inquit) Romanorum genus, quod omnibus anteponi nationibus, omnibusq; gentibus dominari tam prateritis effecit temporibus, quam Deo propitio in ęternum efficiet Legum, & armorum tuitio. Ex quo deinque mundi caput effecta est* ROMA, *quemadmodũ fortè (si vera sunt, quæ scribit Liuius) portenderat caput humanum repertum à iacentibus fundamenta Capitolij: ita fortaſſe coniectura non mediocri de Romulo fingitur quod è terrenis istis sublatus apparens Proculo Iulio dixerit, Abi, nuncia, cælestes ita velle, vt mea Roma caput orbis terrarum sit, proinde rem militarem colant, sciantq;, & ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere poſſe.*

Pomp. Mel. l. 1. c. 4.

Arnob. disput. adu gen. lib. 4

Epist ad Men. pręf. prat.

T. Liu. lib. 1.

T. Liu. lib. 1. dec. 1.

Qualia item, & quanta inter tot rerum, & temporum vicißitudines sit sortita genera politiarum, eademque

demque inter se ualdè diuersa non est difficillimum recensere. Nam primùm Monarchicum constat fuisse nactam principatum ab eo.s.tempore, quo Romulo Vrbis auctori populus communi consensu contulit regiam potestatem, atque inito fœdere, ipse sibi sua officia decreuit, Sacra primum curare, atque sacrificia, gerique per eum quicquid ad placandos Deos attineret, legū, ac morum patriorum habere custodiam; & iuris, siue naturalis, siue quod scripta, & pacta contineret, de iniurijs grauißimas causas decernere, leuiores alijs permittere, prouidendo interim ne quid peccaretur in iudicijs: Senatum cogere, populum in cōcionem conuocare, primus sententiam dicere; quod pluribus placet ratum habere: summum tādem in bello ius agere, atque imperium; eademque munera obituros ipso sublato reges ceteros successores, lege sanciuit: penès quos durauit imperium annos ducentos quadraginta tres.

Regia munera.

Exactis deinde regibus, atque monarchia dempta, experti sunt Romani Aristocratiam (hoc est) optimatum dominationem, & mixtim Democratiam.i. multitudinis imperium; quæ tamen paulò post priuatis cōmodis corrupta fuit ad Oligarchiam, creati enim sunt duo Consules annui ex Patribus, mox inde plebs tumultuans suos magistratus adiecit. Et hic quidē status durauit vsque ad Iulium Cæsarē annis ferè quadringentis sexaginta quatuor; atque ita Respublica Romana ad primordia sui regiminis monarchici redi-

nit, idque non inauspicatò; nam diuina prouidētia factum est, vt peracta diuturna annorum reuolutione, eadem fieret conditio principij, & finis, ea eius generis æternitate frustrata, quam humanitus affectabat obtinere: quandoquidem natus est Christus filius Dei viui, in quem transferenda erat totius orbis possessio, ac principatus, & iure creationis, & meritò redēptionis, & dono patris; iuxta vaticinium Danielis dicē- tis. In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnū eius alteri non tradetur, comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternū. Dan.c.2

De Cessione Romanæ Vrbis Summo Pontifici. Cap. II.

PLACVIT *ei, qui (vt inquit D. Augustinus) non solùm bonis, verum etiam, & malis bene vti nouit Romanam ciuitatem, quam D. Petrus olim in Epist. 1. & D. Ioan. in Apoc. Sicut notauit Tertullianus, & D. Aug. Babylonem vocarunt: diuina, & inexcogitabili sua prouidentia, ac consilio, pressis paulatim tyrannorum potestatibus, ac Deorum falsorum cultu sublato præciosissimo suorum martyrum cruore, ac euangelica prædicatione purgare, sanctificare, ibiq; Petri cathedram, et succes-*

De Ciu. Dei lib.14.c.27.

Lib.3. con. Marcion.

successorum eius fœdere sempiterno collocare, ut adimpleretur, quod dictum erat ab Esaia propheta: In cubilibus in quibus prius dracones habitabat orietur uiror calami, & iuncti.

Esa. c. 35.

In Serm. Fes. SS Petri, & Pauli

Hæc ciuitas (inquit S. Leo) ignorans suæ prouectionis auctorem, cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem, vnde quanto erat per Diabolum tenacius alligata tanto per Christum est mirabilius absoluta. Idcirco B. Marcellus scribens ad Antiochenos dicit Petrum iubente domino Romam sedem ex Antiochia transtulisse. Et ideò inquit D. Ambrosius quod ei fugienti apparuit dicens: Vado Romā iterum crucifigi. Et S. Maximus: Vt ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis. Quod annuit Constantinus Imper. dist. 96. c. Constantinus, quoniam vbi Principatus Sacerdotum, & Christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, iustum &c.

Marcellus.

In or. de trad. Bas.

Maximus.

Hæc olim de iure cessit quando de Maria Virgine natus est Christus filius Dei, qui est rex regum, & dominus dominantium, cuius potestas, potestas eterna; qui est lapis abscisus de monte sine manibus, qui ingentem Statuam hoc est Politiam huius mundi dissoluit, atque contriuit: propterea exinde, vt D. Thomas asserit cepit esse Imperator vicas gerēs Christi: sed quoniam

Dan. 2.

Opus. 20. de Reg. Pr.

nian Christum nesciebat, ius hoc vi, doloue sibi ascitũ suum esse arbitrabatur, proinde nec Petrum agnouit, cui primatum omnium, et præfecturam orbis Christus dederat.

Theoph. in Io. c. 21.

Tota quidem discriminis actio facta est inter utriusque successores; unde D. Ioan. Chris. super Ioannem. Cum magna (inquit) Petro communicasset, orbisque terrarum curam demandasset, idcirco (paulo post) inquit, opus suscepisti id considera, id perfice, labora, & te certaminibus expone. Propterea dum Sũmi Pontifices Christi diuinitatem, potentiam, maiestatẽ conantur defendere, illi econtrà defensores inuadunt, persequuntur, flagellant, occidunt.

Potitus est demum Imperialẽ dignitatem, Deo ita uolente, Flau: Constantinus, qui primus inter successores Iulij Cæsaris Christi fidem publicè, & professus est, & amplexatus, quandoquidem admiratus simul, ac ueneratus Pontificiam auctoritatem, & maiestatẽ Beato Syluestro Romanã Urbem, & omnes Italiæ siue occidentalium regionum prouincias, loca, ciuitates, concessit, atque reliquit, nec non ab eo, & à successoribus eius per pragmaticum constitutum disponenda, de facto decreuit, ut patet dist. 96. c. Constantinus.

Hanc concessionem Iacob. Butr. inualidam esse censet ff. de off. præf. l. obser. Accursius inefficacẽ in Auth. Quo oportet Episc. post prin. col. 2. gl. quoque in marg. super Clem. de sent. & re iud. addit, quod hodie palam

negatur.

negatur istam donationem fuisse; sed quoniam in sui confirmationem testem adducit Vallam, hominẽ nulla prorsus dignum fide, omnem prorsus fidem amittit; ipse enim, & Hunettus eamdem cõmentitiam, & fabulosam dicunt; & quidem, nescio qua arrogantia freti, cum ipsa rerum experientia, & historiarum lectione constet, Summũ Pontificem non vi, non armis, nõ hereditate, non permutatione, non electione, aut quouis alio titulo, præfato excepto, Romanæ Reipublicæ culmina obtinuisse imperij.

Non ab re ergò Reuerendissimus, & elegãtissimus D. Magister Angelus Camers à Rocca præfectus Sacrarij Põtificij, ac Episcopus Tagastensis, uir profectò ingenio, doctrina, pietate probatissimus, summa industria graues auctores ferè septuaginta hinc inde a se collectos facilè mihi ob oculos posuit Romæ, quarũ partim de ea honestam mentionem faciunt, partim verò ueluti legitimè factam probant. Legistæ (quales vulgò appellantur Legum Imperialium interpretes) diuersas inter se habent consperßiones animorum, & quidam qui rerum diuinarum sunt expertes, quod leui cõscientia concipiunt, leuiori lingua produnt; non.n. innituntur nisi super placitis hominũ, atque illud ius, fasq; esse arbitrantur, quod homo ditauerit mundanus, dũque terrenorum principum autumant se se tueri iurisdictionem (proh nefas) neque quæ Dei sunt curant, neq; q̃ Xp̃ianę pietati, neq; q̃ uerę sũt rõnes, attẽdũt.

Imperator

Imperator appellatur Augustus in proemio Inst. & in quol. legum titulo: ergo (dicunt) non potuit talẽ faciendo concessionem Imperium diminuere. Et similiter non potuit imperare venienti post se, & in eius praeiudicium aliquid alienare, vt ff. de arb. l. magistratus. Tertiò quia sic imperium totum posset perire gl. in prin. Auth. Quartò quoniam occasionem dedisset turbandi opus Dei, si quando clerici intromitterent se in temporalibus, vt C. de Epis. & Cler. l. placet. Vltimò quia fuisset causa, vt unus officium haberet duorum, quod non conuenit per legem si plures ff de pac. quæ tamẽ rationes omni vi, & robore destitutæ manẽt si dicatur vnum, hoc est. Constantini donationem restitutionem fuisse Imperij quod Christi esse didicerat, quod hoc .n. confirmant quamplurimi doctores Theologi, & Canonistæ, & inter Legistas diuinarum legum nõ ignarus Bartholus, & Lucas de Penna, super 11. Codicis. De omni agro deserto. Neque enim dicitur Constantinus donasse quin potius reliquisse, vel dimisisse. Domini est terra, & plenitudo eius dicit propheta. vnde & Arch. 63. dist. Ego. Vbi mentio est de donatione prędicta exponit concedo .i. non inquieto, nõ molesto habere permitto, non resisto quin pacificè, & quietè possidens secundum Hugonem. hæc ille. atque etiam si addatur alterum Principem, scilicet habere omnia iura in pectore suo. C. de testam l. omnium. Tertiũ quoque leges .s. Imperiales, & humanas super quibus in-

Lucas de Penna.

ultuntur rationes adductæ certam non facere fidē apud Theologos, & Scientificos, atque ita non valere consequentiam, Imperator dicit. Ego sum mundi dominus ff. ad l. legem Rhod. l. Deprecatio Eudem. ergò verè, & realiter est mundi dominus, nisi tamen fundentur super iura legis diuinæ, aut naturæ quales sunt leges Fidei catholicę C. de Sum. Trin. & de libertate Ecclesiæ C. de Sacros. Eccl. & similes, quæ non inquantum leges Imperatoris sunt; Sed inquantum fundantur in lege diuina, certa sunt argumenta veritatis.

At quoniam instantia facta est sub titulo donationis, placet etiam aliter soluere dicendo ad Primā, quod nomen Augusti non est de necessitate iurisdictionis Imperatoris, quod enim posterius est, non est de necessitate prioris. dicitur autem Imperator Augustus ab augendo, non econtrà. Sunt tamen qui volunt Imperatores omnes dici Augustos à Iulio Cesare Augusto: quicquid sit, ratio ineptissima est. Ad secūdam rationem dicitur, quod Impe. talis Iurisdictio non est ad modum iurisdictionis feudalis; Sed est spoliata omni superioritate, & paritate, vnde conueniri non potest ff. de in ius voc. quapropter nulla lege tenetur Imperator, quin possit exuere se Imperio, illudque transferre, siue secūdum totum, siue secundum partem sine alterius præiudicio, in quem velit, nam non minoris est potestatis hic, & ille Imperator quam Iulius Cæsar, qui ut sibi asciuit Imperium, cum sit eius successor. l. Si quis de

reg. iur. in 6. omnibus autem constat non quid non fecerit; sed saltem quid facere potuisset.

Cur tamen Papa bona Ecclesiæ alienare nō potest; quemadmodum Imperator bona Imperij? Ratio est; quia Imperator sicut iure humano sibi acquisiuit Imperium, ita ei renunciare potest, & iure humano bona eius alienare. Papa verò iure diuino habet Papatum, & consequenter temporalia ad eius conseruationē necessaria. Accessorium enim semper sequitur principale. de reg. iur. hinc est quod quæ non uergunt in iacturam Pontificiæ maiestatis, alienare potest, donare, & quicquid sibi videtur secundum temporis exigentiam facere; quæ verò vergunt in iacturā Pontificiæ maiestatis, nequaquam; nam ita cōtraueniret diuinæ dispositioni secundum quam Constantinus non uni Syluestro tātum; sed futuris omnibus successoribus talia cessit sub titulo donationis.

Ad tertiam respondeo, quod Imperatori non est facta promissio, quæ facta est Petro. Ego rogaui pro te ut non deficiat fides tua, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non præualebūt aduersus eam. Et quidem, Si Constātinus totum cessisset Imperium Papæ Syluestro, iura omnia Imperij qualiacunque erant, cœpissent regi per Syluestrum tāquam per Imperatorem Reipublicæ Romanæ, quod et hodie fit, quādo mortuo Imperatore, sedes Imperij uacat. Inde legitur de Bonifacio, & refert gloss. in uita

Luc. c. 22.
Mat. c. 16.

eius in 6. quod se Pontificio primum, deinde Imperiali habitu populis ostentauit, veluti (Deo auctore) omnium, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, dominus. Papa. s. & Imperator.

Ad quartam, & quintam rationem potius dicendum est, quod hac occasione perturbandi statum Ecclesiasticum, & vnum præficiendi duobus officijs non debuerit, quam non potuerit donare partem sui Imperij. Sed quoniam optimè iudicauit absque tēporalibus diu, commodeq; consistere non posse Summumq; Pontificem æquè benè temporalia in ministerium suæ gloriæ, & defensionem spiritualiũ, & in exemplum Laicorum principum posse tractare, quemadmodũ Melchisedech, Moses, & Heli, qui simul fuerunt Pontifices & reges, his illa, videlicet spiritualibus temporalia, vt habetur in c. Constantinus. (Deo ita disponente) coniunxit; Sicq; duo coiere officia in personam vnam; factumque est vnum regimen mundi in spiritualibus, & temporalibus Papa; quinimò hæc olim maiorum erat consuetudo (inquit Isid. Ethim. lib. 7 cap. 12.) vt Rex esset etiam Sacerdos, & Pontifex, vnde & Romani Imperatores Pontifices etiam dicebantur.

Isidorus

Itaque redacta Roma in potestatem Summi Pontificis, quãuis exinde ab impijssimis principibus per multos annos, & varias seculorũ mutationes sit perpessa calamitates, extulit tamen postremò de sub Barbarorum, & Tyrannorum iugo gloriosas ceruices, at-

que de suis hostibus undique parta victoria, de omnibus est consequuta triumphum. Sicque in hanc gloriam est prouecta (sicut inquit Nicolaus) ut sit gens sancta, populus electus, ciuitas Sacerdotalis, & regia per Sacram Beati Petri Sedem caput totius orbis effecta. atque D. Innocentius. Altitudo maris istius, de qua Christus dicit ad Petrum, Duc in altum est (inquit) Roma, quæ primatum, & principatum super uniuersum seculum obtinebat, & obtinet, quam intantum diuina dignatio voluit exaltare, ut cum tẽpore paganitatis sola Dominium super omnes gentiles habuerit, Christianitatis tempore sola magisterium super fideles habeat uniuersos. Ecce (subdit) liquidò patet quantum Deus urbem istam dilexerit, ut eadem esset sacerdotalis, & regia, imperialis, & apostolica, obtinens, & exercens non solum dominium super corpora, verum etiam magisterium super animas. Eadem consideratione ductus Leo Papa eam ita alloquitur dicens. Per sacram Beati Petri sedem caput orbis effecta latius præsides religione diuina, quam denominatione terrena, quamuis enim multis aucta victorijs ius imperij tui, terra, mariq́ue protuleris, minus tamẽ est quod bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit. atque item Prosper.

De El. & el. pot. c. Fund. in 6.

In Ser. Fes. SS. Ap. Pe. & Pauli.

Serm. 1. de Nat. Apos.

Lib. de ingr.

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet.

Proinde

Festus. Proinde Festus auctore Gergithio κεφαλαῖον Romã appellatam scribit. i. caput. & quidem meritò, non solum ob multas, egregiasq; antiquitatis dotes, & uirtutes; ob sanctorum Apostolorum, & martyrum ueneranda sepulchra; ob gentium, & exterarum nationum frequẽtes concursus; ob nobilissimarum familiarũ totius Europæ splendorem, ob diuitiarum copiam, & ædificiorum magnificentiam; nam ut cãtat ille Poeta,

Moribus antiquis restat Romana, uirisq;.

Uerum magis, quoniam sicut caput dicitur, quod ab eo initium capiunt nerui per quos totum in corpus distribuitur sensus, & motus; ita si uniuersus orbis, & omnis potentatus per Romanorum Pontificũ regulas, siue leges, aut canones non moderatur, & regitur, profectò nec sensum habet ueritatis, nec motum rationis, unde Calixtus Papa dist. 12. c. non licet. Quicquid inquit sine discretione iustitiæ contra disciplinam Romanæ Ecclesiæ actum fuerit ratũ haberi nulla ratio permittit, & Innocentius dis. 17. c. Quis. Quis nesciat, aut non aduertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur ab omnibus debere seruari, nec superinduci, aut introduci aliquid quod auctoritatem debeat generalem aliunde accipere, uel exemplum.

Calixtus.

Innoc.

De Duratione Principatus Romæ. Cap. III.

LActantius Firmianus auctor est, quod nõ finietur mundus Roma nisi destructa fuerit. Et Diuus Ieronymus. Nisi fuerit (inquit) Romanũ Imperium antea desolatum, & Antichristus præcesserit, non veniet Christus. Constat autem hodie Romanum Imperium, imperium oportere dici Christianum, sublato è medio ferreo illo, ui, & uiolentia introducto secundum profetiam Danielis conterente omnia, & comminuente per cessionem. s. Cæsarũ paulatim factam Christo regi regum, à quo Petrus primum, cæteri deinde Pontifices Romani potiti sunt omnem plenitudinem potestatis, à quibus regna cętera, & principatus incrementum percipiunt, & auctoritatem; Christianorum enim omnium una est Respublica, sicut inquit D. Aug. dicitur autem hodie Imperium Christianum, hoc est, eorum qui veram profitentur fidẽ Christi Romanum Imperium, quoniam de reliquijs Romani Imperij fabricatum est, atque constructum, ita vt secundum Danielis vaticinium ex parte sit solidum, ex parte verò contritum. Hinc Auctor tractatus de Antichristo, qui ponitur inter opera D. Augustini explicans dictum illud Apostoli. Quoniam nisi uenerit discessio

Lib. 7

Quæst. 11. ad Alga.

Cap. 2.

De ope. Mon. Cap. 2.

Thess. 2.

discessio primum, et reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, &c. hoc est (inquit) nisi discesserint omnia regna à Romano Imperio, quæ prius subdita erant: hoc autem tempus nondum aduenit, quia licet videamus Romanum Imperium maxima ex parte destructum, tamen quandiu Reges Francorum durauerint, qui Romanum Imperium tenere debent, Romana dignitas ex toto non peribit, quia in Regibus suis stabit; sed planũ est Imperium apud Francos olim, nũc verò apud Germanos esse auctoritate Romani Pontificis: itaque Imperium Romanum, Imperium Christianorum est. Proinde Bartholus super extrauag. Henrici Sept. Quomodo in læsæ maiestatis &c. inhærendo opinioni Sanctæ Ecclesiæ, dicit, quod adueniente Christo Romanorum Imperium cepit esse Christi Imperium, secundum prophetiam Danielis. Quod si absolutè sumitur profectò pluralitatem supremorum principum non admittit, siquidem Imperium unũ, vnum necesse est habere præfectum, à quo cardo rei pendeat. & vt verè Christianorum Imperium dici queat, ab eo necesse est disponi, qui vices Christi gerat. Germania titulo gaudet. Hispania, Francia, opibus, viribus, potentia, Italia verò reipsa: Quis enim Principibus Germaniæ, Hispaniæ, & Franciæ, aliarumque mundi Prouinciarũ Summum Pontificem Romanum successorem Petri, & Christi Vicarium non existimet esse præferẽdum? Hinc quoque ab Hæreticis, Catholici Christiani. s. qui

Barth.

puram,

puram, & antiquam fidei religionem sequuntur Romani, siue Romanenses appellantur; quod olim etiam in vsu fuisse apud catholicos, colligitur ex Oratione D. Ambrosij de obitu Satyri. Quamobrem si Christianorum, siue Romanorum Imperium nullum aliud post se relinquet, certè durabit vsque in finem mundi; Ergo Roma quæ arx est Romani Imperij, et caput Christianæ religionis, semper stabit.

Ambrosius.

Iudicium manifestissimum suggerit preteritorũ seculorum memoria, quandoquidem non semel, aut bis, sed terque, quaterque Roma capta est, spoliata, incensa, sine vllo habitatore relicta. Narrat Procopius Romã quadraginta diebus in solitudine fuisse. & tresdecim emicuisse flammam, crudelitate Totilę Gothorum Regis. Unde, & Francorum Rex Totilæ eius filiam obnixè in vxorẽ petenti nuptui dare noluit, quod diceret, eum non esse Italię Regem, qui Romam rerũ dominam, & Italiæ caput incendisset. Hodie nihilominus adeò suo primæuo splendori restituam cernimus, vt alterum non habeat se, aut gloriosiorem, aut fęliciorẽ, aut magnificentiorem, quapropter mirum nõ est si Alciatus eo emblemate quod edidit in obliuionem patriæ æternam vocat.

Procopius.

Alciatus.

Romam habitas, nec cura domum subit vlla relicti,
Æternæ tantum te capit Vrbis honos.

Sicut olim etiam Ausonius.

Ausonius.

Ignota æternæ ne sint tibi tempora Romæ.

Porrò Innocentius tertius. Ne vero (inquit) tan-

In serm. Fes. S. Petri. & Pauli.

tæ dignitatis honor, vel potius tanti honoris dignitas ad aliam ciuitatem quacunque ratione transiret; sed in hac Vrbe iuxta dispositionem perpetua lege maneret, quum Petrus persecutionem fugiens, infidelium vrbē exisset, apparuit ei Dominus iuxta Vrbem, cui cū Petrus dixisset Domine quo vadis? respondit. Vado Romam iterū crucifigi. Et ideo ext. Qui filij sint leg. c. per venerabilem In Vrbe Roma locum Sedis Apostolicæ dominus dicitur elegisse. Quapropter si quandoque contingeret, vt Summus Pontifex vellet ab ipsa ad aliam trāsire, quod factum aliàs esse nouimus, præsertim cum per septuaginta annos manserit in Gallijs; transferret vtique personam, non priuilegia Sedis. Romana mœnia linqueret, non Romanum principatum, non Romanam Ecclesiam. Sedes Petri Sedes Romana est, & quæ Romana non est, non est Sedes Petri, cum non Bononię, non Viterbij sederit Petrus, sed Romæ. Antiochenam ad tempus, idemq; breue honorauit Ecclesiam; fœlix Ecclesia, si permansisset, non permansit, Romanam elegit. ideoque Innocentius, Sacramentum (inquit) inter Summum Pontificem, & Romanam Ecclesiam tam firmum, & stabile perseuerat, vt non nisi per mortem unquam ab inuicem separentur.

De Con. S Pe. Ser. 3.

Legitur apud Albericū, quod cum Fridericus Secundus indignabundus Innocentio quarto hac scripserit.

Roma

Roma diu titubans, longis erroribus acta
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Pontifex rescripsit.

Niteris in cassum Nauem submergere Petri
Fluctuat; ast nunquam desinet esse caput.

Atque cum ille minis incesseret.

Fata volunt, Stellæq; docent, auiumq; uolatus
Quod Fridericus ego malleus orbis ero.

Ipse egregiè respondit.

Fata volunt, scriptura docet, peccata loquuntur
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

Proinde status vniuersalis Fidelium tanto instantius debet orare pro statu perpetuo Papæ, & eius Ecclesiæ, quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit propensius pendere. Bonifacius Martyr. di. 40. Si Papa.

De Pietate Vrbis Romæ. Cap. IIII.

ROMAM *Atheneus orbis compendium vocat. Cicero Orbem terræ or. in I. Catilinam, & pro P. Sylla Arcem regum, ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperij & 1. de Or. Domum virtutis, Imperij, & dignitatis; & lib. 1. Diu. Lucem orbis terrarum, & arcem omnium gentium. Vrbem Sacratissimi nominis Grat. Valent. Theod. Imper. de Honoratorum vehiculis C. lib. 11. Regiam Dioclet. & Maxim. C. de Adoptionibus* Atheneus. Cicero.

ptionibus l.arrogationes. Almam Val. Grat. & Valen. Imp. C. Vbi Sen. & Clar. l. 2. Æternam. Honor. Theod. & Constantinus C. de priu. corp. Ur. Rom. lib. 11. & de Suarijs l. 2. Antiquam Iustinianus C. de Temp in integr. rest. l. fi. Anteriorem Idem in Auth. Vt Eccles. Rom. col. 2. Veterem Honor. & Theod. C. de Sacrosanct. Eccl. l omni inuocatione. Cœli vicariam Manilius; Potentem Paulinus. Inclytam Virgilius. Ferocem Sabell. Dominantem Sylu. Fœlicem Elpis.

Manilius
Paulinus.
Virgilius.
Sabell.
Syluius.
Elpis.

Gaudeat his Roma laudibus, lętetur his pręconijs; At omnem gloriam superat debita suæ sanctitatis existimatio, quod celebri elogio ab omnibus deuotis Christi fidelibus, cultoribusque catholicæ religionis appellatur Sancta, prædicatur Sancta, defenditur ut Sancta: Sanctum enim est (inquit Martianus) quod ab iniuria hominum defensum, atque munitum est ff de rerum diuis. & qual. l. Sãctum. & Macrobius lib. 2. Saturn. c. 4. Sanctum est quod Sacrũ, aut religiosum, aut incorruptum.

Martianus
Macrobius

Sacra est Roma quia consecrata fuit martyrio Apostolorum Petri, & Pauli dist. 21 quamuis. dist. 22. c. 2 de elect. fundam. & de rel. & ven. sanct. c. 1. par. sit alma: vnde licet Baldus l. 11. C. de Naut fœn. existimet, quando fit mentio de Vrbe sacra intelligi deberi Ierosolymam, Romam tamen asseuerat Alciatus, et verius: Ierusalem quia Christo libellum dedit repudij, omnia priuilegia sanctitatis amisit, vnde Paulus

Baldus
Alciatus.
Act c. 13

Apo-

Apostolus Vobis (inquit) primum oportebat prædicari regnum Dei; sed quoniam abiecistis illud, ecce conuertimur ad gentes; cognouit Roma Saluatorem suũ, properauit in die desponsationis suæ, sortita est priuilegia, facta est ea noua Ierusalem, quam descendẽtem de cœlo vidit D. Ioannes à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo; & quidem sponsa nobilis sublimis, diues, decora, casta, quæ non sicut antiqua Ierusalem pauperrima nupsit, & vacua, sed dotem, quam accepit à suo Sponso Filio Dei retribuit eius vices gerenti Romano Pontifici, absque precio præcipuam, plenitudinem videlicet spiritualium, & latitudinem temporalium, latitudinem, & magnitudinem utrorumq; : in signo spiritualium contulit mitram, in signo temporalium dedit coronam.

Apoc. c. 21.

Innoc. in Cõs. Pon. M. ser. 3.

Religiosa deinde est Roma, propter integritatem suæ fidei, & suæ professionis incolumitatẽ, ex qua totius religionis sumitur dispositio: vnde Tertullianus de præscript. c. 36. si Italiæ (inquit) adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est. & Prosp. lib. 2. de uoc. gent. Roma per Sacerdotij principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.

Tertullianus.

Prosper.

Incorrupta item est, quoniam vt dicit D. Gregorius Nazianzenus. Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet Vrbem, quæ toti orbi præsidet, semper de Deo integram.

In carm. de vita sua.

Ruffinus

tegram fidem habere. & Ruff. in expositione Symboli. In Ecclesia Urbis Romæ, neque hæresis ulla sumpsit exordium, & mos ibi seruatur antiquus. Cyprianus quoque lib. 1. Epis. 3. Post ista (inquit) adhuc insuper pseudo episcopo sibi ab hæreticis constituto nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est à schismaticis, & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos ad quos perfidia habere non possit accessum. Meritò ergo appellatur Sancta, prędicatur Sancta, defenditur ut Sancta.

Cyprianus.

Sed non ob solas istas, verum ob alias causas dicitur sancta. Primò ob manifestationē glorię, & magnificentiæ Dei, quam Deus ipse in hac fœlicissima Urbe signis, ac prodigijs innumerabilibus cunctis gētibus propalauit, quibus tum per se, tum per sanctos suos, mundo Romam quacunque alia ciuitate reddidit celebratiorem: ita quando apparuit Dominus de Rubo in monte Horeb liberaturus filios Israel per manum potentem, & validam dicit Moysi. Ne appropies huc, locus enim in quo stas, terra sancta est.

Exod. c. 3

Secundò appellatur Sancta, propter multiplicem beneficiorum, & gratiarum dispensationem, quæ postulantibus humiliter exhibetur, ministerio Sedis Apostolicæ, & prælatorum eius, in cuius typum legitur, quod cum in somnis uidisset Iacob Scalam, cuius summitas cœlos tangebat, atque ascendentes, & descendē-

Gen. c. 38

tes

tes Angelos euigilans de somno ait. Verè locus iste sanctus est. Verè ergo Vrbs inclyta Roma sancta est, quoniam diuinarum promissionum cum profectum habet, qui tenet responsum. Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

Mat. c. 16

Tertiò sancta dicitur propter merita sanctitatis, quam largissimis priuilegijs idonei sunt ad consequendum, non tantum qui terrena hac luce in ipsa fruuntur, verum & qui deuotione, ac religione ducti, ipsam è longinquis regionibus peregrinantes adeunt. Flexis genibus stabat Salomon contra vniuersam multitudinem Israel, & palmis in cœlum leuatis dicebat. Quicunque orauerit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, idest de cœlis, & propitiare: externum quoque, quod non est de populo tuo Israel, si venerit de terra longinqua, & adorauerit in loco isto, tu exaudies de cœlo firmissimo habitaculo tuo, & facies cuncta pro quibus te orauerit ille peregrinus. Apparuit autem ei Dominus nocte, & ait. Audiui orationem tuam, & propitius ero peccatis eorum. oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. elegi enim & sanctificaui locum istũ. Omnia autem in figura contigebant illis inquit Apostolus.

Par. 2. 6. 6.

Cor. 1. c. 10

Quartò dicitur sancta ob materiam sanctificatam ex commixtione cruoris, & carnis sanctorum Apostolorum

Exod. c. 40. *lorum, & martyrum, vnde in Exod. Legitur Omnia vnctionis oleo consecrabis, vt sint sancta sanctorum.*

Leo. *Isti sunt (inquit S. Leo) qui Vrbem istam glorioso cruore martyrij Christo Domino consecrarunt; isti sunt, qui illam in hanc gloriam prouexerunt, ut sit gens sancta, populus electus ciuitas sacerdotalis, & regia per sacram Beati Petri sedem caput totius orbis effecta; unde duo ista praclara diuini germina seminis in quantam sobolem germinauerint beatorum millia martyrum protestantur, qui Apostolorum æmuli triumphorum vrbem nostram purpuratis, & longè, lateque rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gēmarum conserto vno diademate, coronarunt. digne ergo cantat Ecclesia.*

O fœlix Roma, quæ tantorum Principum
Es purpurata præcioso sanguine,
Non laude tua, sed ipsorum meritis
Excellis omnem mundi pulchritudinem.

Par. 2. c. 7. *Salomon quoque sanctificauit medium atrij ante templum Domini; quoniam obtulerat ibi holocausta, & adipes pacificorum: igitur quanto magis sanctificanda erat ciuitas illa, quæ tot sacrificia, quot martyrum interfectiones exceptura erat Deo gratissima, atque acceptabilia? præciosa enim in conspectu domini* Psal. 115. *mors sanctorum eius.*

Quintò dicitur sancta propter pietatem, fidem, deuotionem, religionem, sanctitatem Romanorum, Romanensiumque: Testimonium omni acceptione dignū

est Diui Ieronymi sententia in proposito ita scribentis. Vbi alibi tanto studio, & frequentia ad Ecclesias, & ad martyrum sepulchra concurritur? vbi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui amen roboat, & uacua Idolorum templa quatiuntur? non quod aliam habeat Romam fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ; Sed quod deuotio in eis maior sit, et simplicitas ad credendum. Testimonium quidem, & absque dubio præferendum vanissimi illius Poetæ iudicio cantantis

In proem. Ep. ad Gal. lib. 2.

Già Roma, &c.
Per cui tanto si piange, e si sospira

Soli enim ij (quorum fortè ipse unus erat) luctu continuo, & dolore iniquissimo macerantur, qui ambitionis suæ indebita fastigia attingere non possunt; aut suorum criminum penas luunt. Nec uerò intantum laudare vereor; quod si quid obijciendum sit, nequeam habere recursum ad id quod dicit Cicero in Orat. de Petit. Consul. Est Ciuitas Roma ex nationum conuentu constituta, in qua multæ inuidiæ, multa fallacia, multa in omni genere vitia versantur, multorum arrogantia, multorum contumacia, multorum maleuolentia, multorum superbia, multorum odium; ac molestia perferenda est: video esse magni consilij, atque artis in tot hominum huiusmodi vitijs, tantisque versantem vitare occasionem, vitare fabulam, vitare inuidias, esse vnum hominem accommodatum, ad tantam morum, ac sermonum, & voluntatum varietatem.

Cicero.

D Similia

Bernardus

Similia obijcit D. Bernardus, quod ex toto orbe terrarum Romam accurrunt ambitiosi, auari, superbi. ex quo maximè solicitantur haeretici in existimationem eius, atque inde varijs, multisq; audent iniurijs lacessere Sanctum Romanum nomen; Sed ratio in promptu est, & iam adducta, quia Roma est ciuitas ex nationum conuentu constituta. Non ergo diminuitur Romanorum, siue Romanensium gloria, quando eorum pietatem non corrumpat alienigenarum impudentia.

Vltimò dicitur sancta propter quamplurima opera sancta, quae in ipsa indesirenter fiunt. Opera autem nostra dicuntur sancta, quando in Dei honorem exhibẽtur, & proximorum vtilitatem; haec enim sunt illa duo mandata, in quibus tota lex pendet, & prophetae. Pars est fidei, & diuini cultus templorum constructio, & ornatus eorum, sacrificiorum frequentia, & sacerdotum numerus; vnde enim magis alitur deuotio populorum in manifestationem bonorum operum, ut qui viderint glorificent patrem nostrum, qui est in caelis; quam ex quo perspexerint, quae omnibus alijs gentibus sunt communia; vero ritu, & salubri, euasisse propria christianis? Hinc facta est prae omnibus mundi ciuitatibus mirabilis Vrbs inclyta Roma.

Matt. 22.

Adi templa viator, siste gradum, circumspice. Quas vides structuras? quos apparatus? qualem sacrarum mensarum, & altarium maiestatem? qualem vestimentorum magnificentiam? quantam auri, argẽ-

ti, rerumque preciosarum copiam? quantam multitudinem ministrorum? Hæc pietatis ergò tùm Romani Pontifices, tùm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, tùm Optimates Urbis, Senatus, populusq; Romanus præstiterunt. Si Reliquias Sanctorum religionis causa visere desideras, quæ quoniam templa olim fuerunt Spiritus Sancti magnam solent ingerere deuotionem Christicolis, vbique locorum honorificè quiescunt; cum verò videris tantum se adeundi concursum, mirator, sciscitatorque, Romani an semper aduenæ? Vis rapi animo, atque in sublime ferri? Sensibus oblectari, atque per sensus ex imis ad suprema tolli? iter arripe, quà magis populi frequentia vestigia terit, ingenti sermonum, concionum, melodiarum suauitate frueris: si pauper es, alienigena, diuinarum, humanarumque rerum studiosus, conuersationisque tuæ habeas bonum testimonium, collegia sunt omnium nationum multis locupletata redditibus, in quibus pauperes huius conditionis ad fidei Christianæ incrementũ aluntur. si Sacerdos es, religiosus, & Dei minister decenti honore tractaberis, gaude, aut saltem priuilegijs tibi iure diuino, & humano concessis, non defraudaberis: ad cœlum tolle manus. Ita Roma suum cultum exhibet Deo in probationem dilectionis erga ipsum.

Quantum uerò spectat ad exhibitionem operum erga proximum; non est inter cordatos viros, qui eius

pietatem non celebret, atque miserationes eius ad sydera usque non extollat. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate, dicebat Propheta, quæ verba non inconcinnè Vrbi Romæ accommodari possunt: siquidem in ea religionum diuersitas, vna tamen fidei professione deaurata circumspectatur; proinde plurima sunt vtriusque sexus monasteria, in quibus pro maiori parte, tam viri religiosi, quã fœminæ, mendicitate viuunt: plurima quoque sunt Xenodochia, Ptochotrophia, Gyrontocomia, Orphanotrophia, Brephotrophia, in quibus pauperes peregrini recipiuntur, Senes, valetudinarij, pueri miseri, atque impotentes, nutriuntur, teguntur, & sustentantur.

Psal. 44

Congregationes item multæ sunt siue initæ societates piorum hominum, inter quos multi sunt magnates, & nobiles, quorum summa solicitudo, & cura est, vltrà diuini cultus ampliationem, virgines pauperrimas solutione dotalis pręcij annuatim à parẽtibus redimere, easque vel honesto matrimonio parare, vel Dei seruitio mancipare, infirmis presto esse, hospites recipere, ad carceres festinare.

Quot deinde accurrant ex toto orbe terrarum Romam velut generosam omnium matrem, & miserorum amplexatricem, debiles, mendici, inopes, non alibi fortè vitaturi exitiosam esuriei calamitatem, vix credi potest. Ne dicat aliquis: hæc & similia vrbes

reli-

reliquas consectari, nam longè, latèq; singulis præferenda est unica Roma. meritò ergò ipsa sola antonomasticè appellatur sancta.

De Romana Ecclesia. Cap. V.

ECCLESIA *Dei uiui (inquit Apostolus) columna est, & firmamentum ueritatis, quam si notificare uelimus una est, Sancta, Catholica, et Apostolica. Si diffinire est congregatio fidelium græcè enim ἐκκλησία cœtum significat, et congregationem euocatorum; uocati uerò fideles sunt; unde D. Paulus Fides per auditum, auditus autem per uerbum Dei; & D. Augustinus Vocatio Pauli ipsum coaptauit ecclesiæ. Si digito demonstrare ad coercendam Donatistarum, Pelagianorum, & Lutheranorum impudentiam, qui eam olim de mundo periisse dicunt, Ecclesia Romana est; & Romana Ecclesia est, quæ est in Urbe Roma arg. ff de verb. sig. l. bona ciuitatis. & l. eum qui, & quoniam una est Sancta, Catholica, & Apostolica; ipsa est Ecclesia Dei uiui, columna, & firmamentum ueritatis. Grande (inquam) priuilegium, quod omnis Ecclesia per totum orbem diffusa Ecclesia Romana dicatur, alioquin una non esset, non sancta, non catholica, non Apostolica.*

Rom c. 10.

Quando-

Ad ors Epis. epis. 3.

Dist. 21. c. Quamuis.

Quandoquidem Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia (inquit Anacletus) non ab Apostolis; sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est. & Gelasius. *Quamuis vniuersa per orbem Ecclesiæ unus thalamus Christi sit, Sancta tamen Romana, catholica, & Apostolica Ecclesia ceteris prælata est, & euãgelica voce domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit.* & Ioannes Papa. Inter claras. & Iust. Imper.

Ioannes Papa.

Nos reddentes C. de Summa Trinit. Romana Sedes caput est omnium Ecclesiarum, cui cuncta decet subijcere, & ad eius deducere vnitatem; quoniam (ut dicit) Calixtus Epis. ad Ben. Epis. dist. 12. c. 1. Non decet à capite membra discedere; sed iuxta sacræ scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur. vnde Ireneus lib. 3. c. 3. *Ad Romanam (inquit) Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire ecclesiam. i. eos, qui undique sunt fideles, nam sicut omnia corporis membra influentiam, & vigorem, & sensum habent à capite, ita omnes Ecclesiæ habent a Romana Ecclesia instructionem, auctoritatem, & rationem;* quapropter Innocentius primus ad Decenn. Scribens, inquit, *Quis nesciat, aut non aduertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur ab omnibus debere seruari, nec super induci, aut introdu-*

Calixtus.

Ireneus.

Innoc.

ci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliũde accipere uideatur exemplum? nam sicut dicit Iulius Papa. Multum conuenit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quę inde auctoritatẽ habet, ubi Dominus Ecclesię totius posuit principatum. Habent itaque reliquę Ecclesię ab Ecclesia Romana primò Fidei confessionẽ, per quã unitas sumitur Ecclesiarum, ob communicationem. s. eorundẽ sacramẽtorum, & conuentionẽ mẽbrorum cum capite: siquidẽ catholica Ecclesia fidelium multitudo est, fide tamẽ, & charitate vnitas. dist. 93. c. legimus. in qua magnopere gloriatur Deus. 9. q. 3. Archiepiscopus. vnus enim ipse est, quemadmodum & vna fides, vnumq́; baptisma. Propterea S. Ambrosius obnixè profitetur se in omnibus sequi magistrã Sanctã Romanã Ecclesiam lib. 3. de Sacram. c. 1. Et S. Cyprianus Petri cathedram, atque Ecclesiã principalẽ asserit esse, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est. ex quo S. Ieronymus monet D. Augustinum, ut Romana tecta locupletet. iuxta dispositionẽ, quæ monstrata est a Christo. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

Ad Episc. Orien. ep. 1.

Ambrosius

Lib. 1. Ep. 3 In Epist. ad eundem.

Math. c. 16

Habent secundò sanctitatis professionem, secundũ quam tota Ecclesia dicitur sancta; & quidẽ, quid videntur aliud intendere tot summorum Pontificum canones, approbationes, reprobationes, institutiones, & regulæ. nisi Christi fidelibus studiosam adijcere sanctitatem?

Gregorius

tatem? & ideò Gregorius quartus Scribens ad Episcopos Galliæ, Germaniæ, & Europæ. Omnis (inquit) sanctæ religionis relatio ad Sedem Apostolicam, quasi ad caput Ecclesiarum debet referri.

Habent tertiò firmitatem suę credulitatis, secundũ quam omnis Ecclesia catholica dicitur; nam quid aliud magis in credendo mentem solidat; quam certa suasio credendi id, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper creditum est. cum talibus sit facta promissio Ero uobiscum usque ad consumationem sæculi? is uerò est catholicus, qui tenet id, quod semper, quod ubique, qđ ab omnibus creditum est: quoniam ergo Ecclesia Romana retinet adhuc, quo semel imbuta fuit, sanctum fidei semen, quod seminari cœpit in Ierusalem, atque exinde diffundi per omnes gentes oportet eius tenere religionem, eique communicare quãcunque aliã Ecclesiam, quæ uerè catholica uelit esse, & in suæ fidei firmitate solidari: proinde Lucius Papa scribens ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ sancta inquit, & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesiã, quæ per Dei omnipotentis gratiã à tramite Apostolicę traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit; sed ut in exordio normã fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis, atque principibus Apostolis Christi illibata fine tenus manet; atque Eusebius scribens ad Episcopos Tusciæ. In Sede Apostolica extra maculã semper est catholica seruata religio.

Math. c. 28.

Vinc. Lyr. in com.

Lucius.

Epis. 3

religio. & Ruffinus In Ecclesia Vrbis Romæ, neque hæresis vlla sumpsit exordiū, & mos ibi seruatur antiquus. Propterea D. Ambrosius in or. de ob. Satyri, quasi explicans, quid sibi velit hoc nomen catholici, per consentientes Ecclesiæ Romanæ explicat dicens. Rogauit, si cum Episcopis catholicis, i. si cum Ecclesia Romana consentiret.

In expositione Symboli.

Ambrosius.

Habent denique auctoritatē, & doctrinam Apostolorū, secundum quam tota Ecclesia Apostolica nuncupatur: radix enim (inquit D. Augustinus in epist. ad Mad.) Christianæ Societatis per sedes Apostolorū, et successione Episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur. & contra Epis. Fund. c. 4. Tenet me in Ecclesia ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascēdas oues suas Dominus commendauit, vsque ad præsentē Episcopatum, successio sacerdotum. Romana autē Ecclesia ipsa est, quam Petrus & Paulus Christo Domino consecrarunt, eamque omnibus vrbibus in vniuerso mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt. Gelasius dist. 21 c. quāuis. & D. Aug. in ipsa semper (inquit) Apostolicæ cathedræ viguit principatus. Ipsa est, quæ fidem habet Apostolico ore laudatam, vt dicit D. Ieronymus scribens ad Pamachium, & Oceanum. Quisquis es assertor nouorū dogmatum, quæso te, vt parcas Romanis auribus parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Fœlix Ecclesia (exclamat Tertullianus) cui totam doctrinam Apo-

August.

Epist. 162.

Ieronym.

De Præscript. c. 36.

Adver. Lucifer. stoli cum sanguine suo profuderunt. Cum itaque in illa Ecclesia sit semper permanendum, ut dicit D. Ieronymus, quæ ab Apostolis fundata, vsque ad diem hanc durat; atque Romana Ecclesia (vt idem asserit in expositione Symb. ad Damas.) semper immaculata mãserit, & Domino prouidẽte, & B. Petro Apostolo opẽ ferente in futuro manebit: necesse est dicere, ut redeamus vnde digressi sumus, summam esse prærogatiuã Romanæ Vrbis eius Ecclesiam, cui præsidet Christi Vicarius, & successor Petri denominare uniuersalem Christi Ecclesiam, ita vt Romana Ecclesia sit idem, quod vna, Sancta Catholica, & Apostolica, & vniuersalis Ecclesia, quæ vna est, Sancta, Catholica, & Apostolica, quę per totum orbem est diffusa eadem sit, quæ Ecclesia Romana non enim (vt dicit D. Ieronymus scribens ad Euagrium) altera Romanę Vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Epist. 8 1.

De Romana Curia.
Cap. VI.

CVRIAM à cura dictam testatur Archid. 11. q. 1. Si quis. propter frequentes curas, quæ ibi sunt. Varro item apud Noniũ lib. 2. de uita pop. Rom. à cura, quæ solicitudo est, & anxietas animi, quasi cor edens; & profectò talis conatus, Varro.

natus, & diligentia necessaria est his, qui curiales meritò esse cupiunt aut Principi seruientes, aut Reipublicæ. In Concilio Romano sub Syluestro, & Constantino can. 17. curia à cruore dicitur, quoniam immolatio est simulachrorum, ea s. curia, quæ nec iustitiam nouit, nec pietatem; in qua, sicut etiam dicit Hugo de Folleto lib. 2. de Anima claustro, repletur dextra muneribus, pauperum res violenter auferũtur, laudatur peccator in desiderijs animæ suæ.

Concilium Romanum.

Hugo de Folleto.

Itaque apud Romanos curia olim primum dicta est vna ex triginta partibus, in quas populum Romanũ Romulus distribuerat, de qua acceptione Pomponius scribit tit. 2. ff. l. 2. de Orig. Iur. & Dyonis. Halicarn. lib. 2. & T. Liuius lib. 1. Dec. 9. Deinde dictus est locus in quem sacerdotes curabant res diuinas, de quo Festus Curia (inquit) locus est, vbi tantum ratio sacrorum gerebatur. Postremò & is in quem Senatores pro Republicæ vtilitate conueniebant, sicut legitur in libris Machabeorum. Et abierunt Romam uiã multam valde, & introierunt curiam, & dixerunt: atque inde extensa est huius nominis appellatio etiã ad personas; vnde Lucanus.

Dyon. Halicarn.

T. Liuius.

Festus.

Mach. 1. c. 8.

Lucanus.

Victo iure minax iactatis curia Gracchis.

Cuius usus frequens est apud nostrates; nam Curia quandoque sumitur pro familia, ea. s. appellatione familiæ, qua omnes, qui alicuius eminentis viri seruitio viuunt mancipati, siue sint liberi, siue serui, cõtinen-

tinentur. Vlpianus l. 1. de Vi, & vi. & de Ædil. edic. in l. ædiles. hinc solet dici ille est de curia talis, & talis Cardinalis, ille alterius, i. de sua familia, unde familiares curiales sunt dicti.

Secundò curia sumitur pro ignobilioribus officialibus ciuitatis, ac nudis ministris, qui sunt meri executores; est enim minister nudus merus executor, ut docet Bartol. in l. si quis Titio. de legat. 1 1. quales sunt Cursores, Barisselli, Satellites, Notarij, & huiusmodi de quibus apud Gratianum dis. 5 1. c. 1. Innocētius Papa. Aliquantos ex curialibus, qui dum parerent potestatibus, quę sunt sibi imperata fecerunt.

Tertiò Curia accipitur pro optimatibus alicuius regni, aut status, qui Principi assistunt, atque sui muneris, siue re, siue consilio, partes obeūt; atque ita Romanæ Curiæ appellatione, quam D. Bernardus appellat Dominam mundi uniuersitati constitutam nondicem in iram; ueniunt, (præter ipsum Summum Pontificē, nam familię appellatione, & ipse Princeps familiæ cōtinetur ff. de uer. & rer. sig. l. familię.) Illustrissimi ac Reuerendissimi Cardinales, cęterique Prælati, ac sacri Palatij pręfecti, & Laicales Magistratus, quibus cura aliqua incumbit muneris obeundi, atque oneris Romani Pontificis, pro fœlici conseruatione Reipublicæ Christianæ. De quorum statu in sequentibus tractabitur.

De statu Summi Pontificis. Cap. VII.

STATVS *Papalis institutus est à Christo supernaturaliter, & immediatè, tanquam primatum habens monarchicum, & regalem in Ecclesiastica Hierarchia; secundum quem statum vnicum, & supremum Ecclesia militans dicitur vna sub Christo, quem statum quisquis impugnare, uel diminuere, uel alicui ecclesiastico statui coæquare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, hæreticus est, Scismaticus, impius, atque Sacrilegus; cadit enim in heresin toties expressè damnatam à principio nascẽtis* Ecclesię *usque hodie, tam per institutionem Christi de principatu Petri super alios Apostolos, quam per traditionem totius* Ecclesiæ *in sacris eloquijs suis, & generalibus concilijs.* Ita *Ioan. de Gers. de Stat.* Eccl. *consid.* 1. Ioan. de Ger.

Papa dicitur Pater patrum, Summus Christianorum Pontifex, Christi Vicarius, Petri successor, Caput, Sponsus, Dux, & Rector Ecclesię, *Pastor uniuersalis, Apostolicę Sedis Pręsul, Orbis terrarum pręfectus, & moderator.*

Ergo *ab ineunte ætate* Ecclesię *legimus Imperatores Idololatras, ac Principes infideles in malitiā persecutionis*

cutionis excitatos, innumeris cruciatibus eos supra naturæ modum crudeliter uexasse, atque in dies magis, ac magis ira, & odio exardescentes, nec in abstrusis specubus, aut antris, uitam angustissimã degere passos esse. Petrus primum ab iniquissimo tyranno, ob fidei constantiam confeßionis iussus est in cruce affigi. Linus ab ingrato consule Saturnino capite damnatus. Cletus à Domitiano Imperatore occisus. Clemens mãdato Traiani, alligata ad collum anchora, in profundũ deiectus; cæteri demum miseram nec longè absimilem sortiti sunt catastrophen: inopes, mendici, abiecti, sine auro, sine argento, sine purpura, non stipati milite, nõ circum strepentibus septi ministris, non assidua nobilium frequentia pulsati, vagi, profugi, contempti; Talia namque decuit Christi Ecclesiam habere primordia, qualia præmõstrauerat Christi Domini comparatio dicentis. Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod cum seminauerit homo minimum est omnibus seminibus, cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus.

Math. 13

Itaque vix proficere visa est, ac crescere, vix ordinis eminentiam, iurisdictionis, & potestatis in suis supremis rectoribus, & ducibus propalare, heretici undique liuore, & inuidia repleti (nam ut inquit Pindarus in Pith. ἴσχει ὄλβος οὐ μείονα φθόνον *hoc est. haud minimam inuidiam habet fælicitas) in eos insanire, innumeris figmentis aggredi, ludibrijsque varijs impetere. At hæc est simplex hæreticorum necessitas, & quasi regu-*

Pindarus

si regularis cunctorum scismaticorum temeritas, siue occulto, siue aperto Marte, contra Summos Pontifices dimicare; alioquin hæreticus formaliter is non est, qui quæque sapit, ac docet, etiã si absurda sapiat, ac doceat, rata non habet ab ipsis condemnata.

Imperatores similiter quidam, Reges, ac Principes, à suis consiliarijs, æqui nescijs decepti, sibi certò persuadentes regnorum, & prouinciarum quas possident, in suis pectoribus iura omnia quiescere; ægrè ferentes alienam superioritatem, Summis Pontificibus plurimas indiderunt calamitates, existimantes ita fieri posse, ut iuri cederent, quod Christi erat, & à Christo acceperant. Nonne hac de causa Iulius *Primus, Symachus, Siluerius primus, Vigilius primus, Martinus primus, Leo tertius, Eugenius secundus, Ioannes octauus, Leo quintus, vel sextus, Ioannes decimus, Benedictus octauus, Ioannes decimusquartus. Ioannes sextusdecimus, Gregorius quintus, Benedictus nonus, Gregorius septimus, Vitor tertius, Pascalis secundus, Alexãder tertius, Bonifacius sextus, Roma sua Sede ab iniustis hominibus expulsi fuerunt, & iniustè multas tribulationes pertulerunt? sæpe enim*

Victa pugnaci iura sub ense iacent.

Propterea necessum fuit Summos Pontifices indies magis, ac magis per deuotos, & catholicos Principes foueri, ditari, deffendi; sicut factum est per Flauium Constantinum, Ludouicum, Reges Franciæ, Ot-

tones de Saxonia, Pisanos, Venetos, sicque vt non semper lugerent filij sponsę ad eum statum peruenire, quem nunc in magna Ecclesiæ tranquillitate perspicimus. Quandoquidem non est vsquam fidelis, & catholicus, qui Summi Pontificis plenitudinem potestatis non agnoscat, reuereaturque maiestatem; non est (inquam) inter Christicolas, qui ob reuerentiam Christi Iesu, cuius vices gerit in terris, Sanctissimum, Beatissimum non prædicet, pedesque suos corpore prostrato enixè non appetat osculari. Præter iuris rationem quã etiam in temporalibus habet tanquam Christi Vicarius in omnibus regnis, & principatibus mũdi, in Italia nihilominus, & extra gentes habet, et ciuitates suo particulari regimini, & dispositioni reseruatas. Vrbem inclytam Romam, Bononiam, Ferrariam, Rauẽnam, Ariminum, Cęsenam, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, & alias, atque quamplurima loca, castra, & terras; Collectæ deinde, annatæ, decimæ, beneficiorum, & officiorum collationes in quos, quando, & quomodocunque uoluerit maximos sumptus, & redditus immensos suppeditant. Inde eius vitæ ratio haud neglecta opum affluentia promitur, auro, argento, purpura fulgore, ac seruorum, & mancipiorum ministerio praueniri. Hæc gloriosa prouectio, quam mirabilis exinanitio præcessit, opus Dei est cuius iudicia quantò sunt inuestigabilia, tantò debent humanis mentibus esse metuenda, ut

quia

quia ea ratio mortalis comprehendere non valet, his se necesse est humili cordis ceruice substernat, quatenus quo eam regentis voluntas duxerit, illac obedientibus mentis gressibus prosequatur.

Hebrei legis, ac ueritatis desertores Summum Pontificem, quem Christus in persona Petri caput appellat, tu inquiens vocaberis cephas, quod exponitur caput ipsi per contumeliam hegmon. i. caudam vocant. Cæteri infideles, atque hæretici, scismatici item, ac nefarij homines alijs quamplurimis indignissimis epithetis illum vocitant: Lutherani præsertim, Caluinistæ, & Anabaptistæ, eique ore effreni, & maledico prodigiosa crimina impingunt; de quibus non expedit in tõgum protrahere sermonem. Ioan. c. 1

Docet sana, & catholica fides Summum Pontificem Romanum Christi vices gerere in terris, Petri esse successorem, caput vniuersalis Ecclesiæ, *& sicut in capite consistit omnium sensuum plenitudo in cæteris autem membris pars est aliqua plenitudinis, ita cæteros vocatos esse in partem solitudinis, ipsum verò in plenitudinem potestatis.* Inn. lib. 1. Myst. Miss. c. 8

Beatissimi titulo honestari (inquit exprobrando Hattenus) supergreditur humanam sortem; siquidẽ dici beatus

Ante obitum nemo supremaque funera debet

Ovid. lib. 3 Meth.

μηδέν' ὄλβιον βροτῶν

Πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς.

Eurip. in Androm.

At dominus, cur in Euangelio inquit? Beati mundo corde, Matth. c. 5

Mat.5.

corde, beati pacifici, beati misericordes, beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, nisi quia vna beatitudo est in hac vita, secundum quam illi beati dicũtur, qui in nullo sibi conscij viuendi genus commendabile sequuntur, atque ad Dei gloriam, & proximorum utilitatem quæcunque possunt impendunt? De qua Propheta etiam in Psalmo dicit. Beati immaculati in via qui ambulant in lege domini, beati qui scrutantur testimonia eius in toto corde exquirunt eum: proinde beatissimos appellat Iustinianus in Constitutionibus Patriarchas, & Episcopos, necnon ante ipsum plerumque Ieronymus, & Augustinus: atque vnà verba illa Saluatoris nostri. Beati estis cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me; nonne ad Vicarium suum Beatissimi titulo honestandum sufficiunt? quoniam super omnes Christum confitentes, ipse est, qui tum ab Infidelibus, tum ab hæreticis, & Scismaticis. tum verò à quibusdam perfidis hominibus sordidis, inuidis, hypocritis indesinenter blasphematur maledicitur, ac diris execrationibus laceratur.

Mathe.5

Sipontinus.

Beatum item eum esse docet Sipontibus, qui rebus omnibus ad vitæ vsum, ornatumq; spectantibus abundat. & Horatius.

Horatius.

Beatus ille, qui procul negocijs,
Vt prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fęnore.

Simi-

Similiter beatus is appellandus est qui extra aleam fortunæ existens, conditionis suæ depressionem, aut rarò, aut nunquam timet. Facta est autem à Christo Summo Pontifici promissio in persona Petri dicentė. Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua; ex quo de fide tenendum est Papatum esse æternum. Luc.c.22

Sanctissimus pariter dicitur, quoniam sicut sanctum est, quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est l. sanctum ff. de Rer. diuisa tenetur qui libet Christianus, cuiuscunque gradus, eminentiæ, & dignitatis existat, Summum Pontificem, & eius auctoritatem etiam cum huius vitæ tẽporalis discrimine, ab iniuria hominum impiorum defendere, atque à calumnijs hæreticorum, Scismaticorum, & infidelium gloriam eius, & existimationem seruare: nã dicit Dominus. Qui amat patrem, aut matrem plusquàm me non est me dignus; & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus; & qui non accipit crucẽ suã, & sequitur me, non est me dignus; & propterea Imperator accipiendo vnctionem, consecrationem, ac coronã iuramento promittit Summum Pontificem defendere, & contra omnes homines cuiuscunque existerent præminentiæ, dignitatis, uel status tueri; & generaliter quando Vasalli iurant, domino, quod in omnibus causis iuuabunt ipsum, & contra quemlibet; ff. de rel. l. minimè; non tamen contrà Patriam, & Papam extr. de iureiur. c. venientes. Math.c.10

 Quo-

Quoniam autem dignitatem habet, & maiestatẽ supra omnes huius mundi principes excellentiorẽ, conueniens etiam est, ei maiorem supra omnes, quam fieri posit reuerentiam exhiberi. Capita inclinamus nobilibus, genua flectimus Imperatori, & Regibus. Inclinans se Dauid pronus in terram adorauit. Regina Hester Assueri regis osculata est summitatem virgæ. honor enim est exhibendus secundum conditionem dignitatis personæ; Sicut itaque Papa longè maior est Imperatore, & Regibus, ita ipsis in honore, & actibus reuerentialibus debet præferri; Subinde mos incaluit, vt oscularemur in pedibus. Ioan. *de Plat. in l. 1. C. de domest. lib. 12. Neque ideò Petri successor (vt ait Aretius) & Christi Vicarius dignitate, & honore tam Christum, quam Petrum supergressus esse videtur; quoniam totum, quod impenditur Papæ impenditur etiam, & Petro, & Christo, Papæ minus principaliter, Petro magis principaliter, Christo principalissimè, cui, licet temporum secreta discretio de facto olim non pertulerit, de iure tamen impendendum semper fuisse non est qui nesciat. Propterea cum quidam Imperator corpore in terram prostratus conculcaretur a Papa, atque Papæ dixisset Non tibi; sed Petro. Papa dictum corrigens. Et mihi (inquit) & Petro.*

Reg. 1. c. 24

Hest. c. 5.

Sunt quamplurimi, qui dum suæ vitium tortitudinis ignorant, audenter sibi auctoritatem increpationis arripiunt, cumque fœlicitati, & tranquillitati Ec-

clesiæ inuideant, à Summo Pontifice rerum temporalium iurisdictionem adimere conantur. Christi opponunt mendicitatem, qui non habebat unde caput suum reclinaret, ac Petri qui inquit Argentum & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do; atque ita improperabat Iulianus Apostata Christianis rapiens eorum facultates; Similiaque persecutor Cleri, & Ecclesiasticarum substantiarum iniustissimus raptor Hēricus Rex Angliæ Octauus. Solicitudines rerum temporalium, & præsertim circa dispositionem regiminis populorum dicūt spinas esse, de quibus dicit dominus, quod suffocant Verbum Dei: Idcirco refert Ioan. de Gers. tract. de sensu liter. sacr. scrip. quod narrant historiæ, & ipse legit in postilla super bibliam; quod dum dotata esset Ecclesia bonis temporalibus per Constantinum Imperatorem, audita est vox in aere. Hodie venenum effusum est in Ecclesia Sancta Dei; sed quidem quoniam nullū habet certum, & dignum auctorem, Syluestrique sanctitatem, ac multorum successorum eius Ecclesia probet, tanquam mendacium ineptissimum respuendum est; vnde & ipse Ioan. dicit quod à Constantino dotata est Ecclesia magis diuino, iuxta prophetiam Danielis de Regno Christi, quam humano constituto. Portentosius item ille poeta Dantes Aligher. cuius audacia flagris potius, quam verbis esset comprimenda ita insulsè canit 16. cant. Purg.

Luc. c. 9. Act. c. 3. Gers. In discep. mē. & pau. Dan. c. 2

Solcua

Soleua Roma, che'l bon mondo feo
Due Soli hauer, che l'vna, è l'altra strada
Facean vedere, del mondo, e de Deo.
L'un l'altro ha spento, & è gionta la spada
Col pastorale, e l'un e l'altro insieme
Per viua forza mal conuien che vada,
Però che giunti l'vn, l'altro non teme,
Se non mi credi pon mente alla spiga
Ch'ogn'herba si conosce per lo seme.

Et *cant. 19. Inferni.*

Ahi Constantin, di quanto mal fui matre
Non la tua conuersion; ma quella dote,
Che da te prese il primo ricco patre.

Quæ obiecerunt Donatistæ, Ioan. Hus. Vuicleff. Laur. Valla. Huttenus, Lutherus, Illiricus, Caluinus, & alij huius farinæ homines, non est opus recensere, Gl. quoque super extrau. Sixti Quarti in marg. Ad vniuersalis Ecclesiæ. ad illud verbum (proh dolor) dicit quod Papa dolet, quod regnum non expilat; qui est dolor Lupi quando oues liberè non dirimit; ausu quidem temerario, & diabolico; Ita Inuidia cum mentem tabefecerit cuncta, quæ inuenerit benè gesta consumit. At de his inquit S. Iob. Quasi in nocte sic palpabunt in meridie.

Iob c. 5.

Summum itaque Pontificem Christi Vicarium iurisdictionem habere temporalem de facto in aliquibus Prouincijs planum est; ac in toto mundo de iure non solum indirectè, vt quidam putant, verum directè, satis existimo demõstrasse in tractatu meo de Iure Principum. Verumtamen an expediat habere huiusmodi iuris-

iurisdictionem, si loquamur de iure, expedit, vt inde non coarctetur eius auctoritas, et legitima potestas ad debellandam vniuersam terram, & si opus fuerit, Christo subijciendam, cuius possessiò sibi debetur, & iure creationis (inquit D. Bernardus) & meritò redemptionis, & dono Patris. Si loquamur de facto multo magis expedire videtur; ratio euidentissima est ipsa met experiētia rerum gestarum, quæ testis idonea est, & iudex incorruptissima. Siquidem quando Summi Pontifices nullam habebāt de facto iurisdictionem temporalem, sine quòd idem est, vsum iurisdictionis temporalis macerabantur in carceribus, flagellabātur, occidebantur: inde fidei incrementum prohibebatur, atque cultus Christi continuis extorsionibus distrahebatur. Vilis reputabatur religiosorum status, viles ordines clericorum, administrationes eorum incertæ. Væ nobis si non prouidisset nobis Deus de potentia Papæ. Quamobrem Summo Pontifici inuidere, quod magnā habeat Imperij latitudinem, et temporalem iurisdictionem, nil aliud est, quam nouiter affectare Ecclesiæ persecutionem, fidelium inquietudinem, necem, & interitum. Ecce gladij duo hic (inquit Petrus ad Iesum;) vt scilicet si non vnius, alterius saltem formidinis superborum arrogantia comprimatur. Itaque necessarium est Summum Pontificem iurisdictionem temporalem, & consequenter Imperij magnitudinem, & populorum subiectionem habere, ad faciendā vindictam

Bernardus

Luc.c.22.

in

in nationibus increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum.

Non erat indignum Redemptori nostro despicabilē vitam gerere, qui venerat occidi, & reconciliare nos Deo per sanguinem suum. Petrum non decebat celsitudinē, potentiā, vim, & maiestatem, quoniā adhuc vehemēti testimonio, quod est testimoniū sanguinis, Christus filius Dei mundo non erat manifestatus. Hodie palam prædicatur Christus; bene fundata est Ecclesia supra firmā petram; modo animarum lucra (inquit S. Gregorius) modo terrena cogitat, delicijs affluit, & ascendit; custodia ergo sufficiens est, quæ à vi tyrannorum, & fraude hæreticorum & Scismaticorum illusione illæsam vi, & imperio seruat.

Gregorius. Serm. 2. in Fes. omnium Sanct.

Ista solicitudo quāuis ad actiuam uitam pertineat, alteram tamen genus vitæ longè superat, & laborum meritis, & gratiarum donis, & largitione præmiorū. Plus certè profuit Christus in monte prędicans, & pascens; quam solus esuriens in deserto, & plus profuit Ecclesiæ Syluester, quam Cœlestinus. Atqui solicitudo ista in ordine refertur ad spiritualem & quoniā boni, & æqui ratio sumitur ab obiecto, & motus omnis specificatur à termino, meritò spiritualis appellari videtur, ad differentiam earum solicitudinum de quibus inquit Innocētius quod quandiu cor fuerit diuisum per actiones mundanas, & distractū per occupationes ter-

renas

renas, quasi prostratum ad solum suspicere nequit ad polum. & Apostolus. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. hec sunt. quæ pro obiecto non habent Dei ordinationem, gloriam, & honorem; sed tantum proprium commodum, suæque personæ rationem, & vtilitatem, non proximorum salutem, & fidei incrementum. huius generis solicitudines personales dicuntur, & verè sunt spinę quæ suffocant Verbum Dei. Quod D. Bernardus tantopere increpet in libris de consil. vitam hanc actiuam Summi Pontificis non est intantum mirandum, quod mẽtibus non ingerat aliqualem veri rationem D. Gregorij sententia. Magni doctores sæpe ex nimia charitate modum correctionis excedunt. Siquidem excruciabatur D. Bern. maximè propter electionem Abbatis S. Anastasij in Papam Eugenium, vnde scribens ad omnem curiam quasi indignabundus incipit Epistolam *sic. Parcat vobis Deus quid fecistis? Sepultum hominem reuocastis ad hominem, fugitantem turbas, & curias, curis denuò implicuistis, & immiscuistis turbis, & paulo post. Quid igitur rationis, siu consilij defuncto Sũmo Pontifice, subito irruere in hominem rusticanum, latenti inijcere manus, & excussa è manibus securi, et ascia, vel ligone, in palatium trahere, leuare in cathedram, induere purpura, & bisso, accingere gladio ad faciendam vindictam in nationibus: ridiculum profectò videtur pannosum homuncionem assumi ad præsidendum*

Tim. 2. 1. 4.

Math. 4. 19

Gregorius.

Ep. 238

dendum principibus, ad imperandum Episcopis, *et imperia disponenda, & ideo in lib. de consid.* Eugenio *timens, quem solam vitam contemplatiuã sectari sciebat, dicit quod curæ litium, & rerum ciuilium habent suos iudices, reges, et duces, & quod ad ipsum spectat iudicare non de possessionibus; sed de criminibus, & reprehendit similiter leges Iustiniani, harũ legum fautores, & aduocatos. (& quidem modũ in reprehendẽdo excedit) tamen sedata mẽte concludit, quod debet aliquando huiusmodi negocia tractare per se, aliquãdo per alios, & simul considerationi vacare, & quædam similia adijciens in secundo libro postremò addit. Hæc pauca vice apologiæ dicta sint, vt ipsa qualiacunque habeat cõsciẽtia tua ex me, vnde me habeat excusatum. Quod si ita salutem Eugenij, atque eius vitæ quietem videatur præferre publicæ vtilitati Ecclesiæ similis esse apparet pastori illi, qui cũ habuerit centum oues, perdideritque vnam ex eis relinquit in deserto nonaginta nouẽ, & vadit ad quærendam illam. videbatur ergo sibi magnã habere licentiam ipsum increpandi, indignandi, terendi, suadendi, retẽtandi; vnde in quadam Epistola hæc inter cętera scribit. Expectabam literas tuas, expectabam si quis mihi diceret; Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in tota terra Ægypti. Iam enim filium dicere non audeo, quia filius in patrem, pater verò mutatus est in filiũ: Ego & si nomẽ patris deposui: sed non timorẽ, non anxieta-*

Luc. c. 15

Epist. 237.

tem,

tem, non affectum, nec viscera patris; & in altera. Aiunt non vos esse Papam; Sed me; & vndique ad me confluunt, qui habent negocia. quamobrem si talia fari licuit D. Bernardo, profectò alteri non licet. Epist. 238.

Quoniam autem Iurisdictionem, Imperium, & Potestatem comitantur diuitiæ; nam vt dicit Budeus oportet antistitem iustitiæ esse potẽtem, & sine diuitijs potentia diu persistere nequit; quoniam Budeus.

Nil habet infelix paupertas durius in se;
Quam quod ridiculos homines facit.

Et ideo in libris Digestorum de susp. tut. & cur. l. tutor. & in Auth. col. 1. pauperum condictio despectibilis iudicatur; propterea Summum Pontificẽ, qui omnẽ habet plenitudinem potestatis, & latissimũ suæ iurisdictionis vsum necessarium est ingentẽ habere diuitiarũ copiam, nec non vt in suis iudicijs nullũ secularis potestatis habeat metũ, nulla rerum tẽporalium indigẽtia detineatur, habeat suæ voluntatis executores fideles, ministros, consiliarios, nobiles, grandes, optimates, & amicos; etenim verissimũ est, quod ait Plato in Epigr. οὐδεὶς οὐδὲν ἔχοντι φίλος. *hoc est. Non habenti amicus nullus.* Plato

Quod si quidã obijciunt de Christo; in prõptu responsio est. Christũ Iurisdictionẽ habuisse, non vsum, Papã uerò vtrumque, & iurisdictionẽ, & usum; huiusmodi autẽ usui tantum tẽporalia necessaria esse, quẽ latet? vnde D. Gregorius. Potestas regiminis mini- Gregorius.

Ib o. 34 loh. *strari non potest sine studio curæ temporalis.*

Fremunt hic quidā obstrepuntq; liuore prauo affecti dicētes. Diuitias Ecclesię sustentamina pauperum esse; at Summum Pontificem solis suis eas dispensare consanguineis, amicis, & affinibus; quod quidem etsi falsum est, ut norunt omnes, qui aliquā de administratione rerum Summorum Pontificum uerā notitiā habent; nihilominus quicquid sit de hoc, quod facit debiti, & iusti rationem non confundit, etenim dolo nullus uidetur facere, qui suo iure utitur ff. de reg. iur. ac de suo unusquisque potest disponere prout vult, & dare cui libet. Ita Deus sua dona confert alijs quidem magis, alijs verò minus: ita Christus Petrū uocauit, principē Apostolorum constituit, et Ecclesię primatū dedit; Pilato verò nihil contulit ex his; & ex Apostolis nonne quasdā consanguineos suos elegit, & omnes suæ gentis? Eorum ergo quorum usus, & utilitas dominij est penès Summum Pontificē, reddituum s. annualium, & Ecclesiasticorum censuum, ipse est dominus proprietarius, & liber, non dispensator merus, aut procurator, tam de iure, quā de facto; de iure quoniam ius habet a Christo, quod est ius concessum Petro a Patre acceptū, nihil habens cōe cum cęteris hominibus; soli. n. Petro dixit Pasce oues meas; Et tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cęlorū, & singulariter, Quodcunq; ligaueris super terrā erit ligatum & in cœlis, et quod-

Ioan. c. 21. Math. c. 16.

cunque solueris super terrā erit solutum, & in cœlis. De facto autē, quoniā Summus Pontifex, cœpit usum habere sui Dominij, & Iurisdictionis à Donatione Constantini, Donatio autem fuit facta Syluestro, & successoribus suis; non cęteris mēbris Ecclesiæ, nō pauperibus, non mendicis; veluti patet per Pragmaticū Constantini dis. 96. c. Constantinus. Itaque cū aliquos ditat, subleuat, erigit, siue sint consanguinei, siue affines, siue familiares, & domestici de suo id facit. Licetque quod libet, dummodo in pręiudiciū non fiat suorum successorum, quoniam talia bona Summis Pontificibus pro tuitione suæ iurisdictionis, & auctoritatis sunt concessa; & bona sunt, quæ sunt relinquenda posteris, præsentium fidei commissa; vniuersi enim Pontifices siue pręteriti, siue præsentes, siue futuri sunt successores Petri, & Ecclesiæ perpetui rectores à Christo Domino ordinati, atque ita hunc sensum gerūt canones dicentes, quod Summus Pontifex dispensator est, non dilapidator: quod autem in his ratio consanguinitatis, & proximitatis debeat haberi lex ipsa naturæ demonstrat, nulla Christi diffinitione sublata, Apostolicaque traditione vetita. Lege lector D. Ambrosij lib. de offi & 2.2. D. Thomæ q. 63. ar. 4. & q. 183. ar. 7. & C. de in int. res. l. de tutella. C. de codic. l. si C. de leg. l. cum rem alienam ff. de in ius uoc. l. 4. & l parentes de pact. l. antep. aliasque quamplures leges

simi-

similes; & doctores, tum Theologos, tum Legistas; atque maximè D. Pauli sententiam. Qui curam suorũ domesticorum non habet infideli est deterior. Sed esto. Ego profectò existimo, quemadmodum quisque alius religiosæ mentis, & fidelis perspicaciȩ existimare debet, haud incongruum esse; sed ualdè honestum, ac iustum, rationabile, atque decens, affines, & consanguineos summi totius mundi Monarchæ, ob eius reuerentiam, & maiestatem, necnon, vt ipsi quoque sint apud omnes honori, & honestati, sicut legimus fuisse Aarõ, & Mariam fratres Mosis in populo Israel, pluribus opibus ditari, abundare, atque in administrationibus alijs etiam aptioribus præferri; idem quoque dicendum esse de collatione beneficiorum Ecclesiasticorum in eos, & prælaturarum, ut Cardinalaticum, Episcopatuum, Abbatiarum, & huiusmodi. Liberè enim & absque vllius iniuria, in quem sibi placet conferre potest Papa. exhibilent improbi, indignentur inuidi, submurmurent maledici, & mirentur ignari; non ijsdem causis mouetur Papa, quas ipsi scrutãtur, quorum examinatio ad ipsos non spectat; ipse est qui potest dicere, quod dicit Dominus. Aliȩ sunt viæ meæ aliȩ uiæ vestræ, aliæ cogitationes meæ, aliæ cogitationes vestræ, ipse est super quem dominus idem pijssimus, atque sapientissimus, nullum, ipsum verò super omnes Iudicem fecit: ideò Innocentius inquit. Cum Romanus Pontifex non habeat

Tim. 1. c. 5

Esa. c. 55.

habeat

habeat alium Dominum nisi Deum, quantùlibet euanescat, quis potest eum foras mittere, aut pedibus conculcare?

Qualis deinde insani peruicacia præsumatur eius in incessu pōpa, in habitu fulgor, & in statu maiestas omnes norunt; hinc legisse memini quod cum Franciscus Rex Francorum Bononiæ esset, ibiq; Leonē Summū Pontificem gloriosam pompam undequaque præseferētem conspiceret, eo quasi offensus aspectu in hęc uerba prorupit. Scio antiquos Pontifices (sancte pater) non talem, ac tantam nauasse operam his honoribus, ac pompis; cui respondit Leo. Verum id quidem fuisse quando Reges pascebant oues sine contemptu imperij; subiunxit ille; hæc ita fari de Pontificibus noui testamenti; & Leo affirmauit; verum id quoque, quando Reges ea erant humilitate, & deuotione prediti, vt proprijs manibus pauperes, & infirmos publicè alere non dedignarentur: atque ita asperitatem malitiæ, quæ in mēte Regis latebat, dulciter increpando detexit. breuibus inferendo mores, & tempora indemnabilē facere causam suæ gloriæ vnde D. Augustinus. Affert opportunitatis ad aliquid iustè agendum, siue non agendum temporum secreta distinctio.

Cont. aduer. leg. c. 11

Nunc hic dies (inquit Terentius) aliam uitam adfert, alios mores postulat. Et Virgilius.

In Andr.

Tempora dispensant vsus, & tempora cultus.
Hæc homines, pecudes, hæc moderantur aues.

Eleg. de Mæc. ob.

Ideo

Pithagoras

Alciatus.

Ideo Pythagoras rationem duorum temporum mane.s.& uespere habendam dicebat, ut refert Alciatus lib.dispunct.c.21.

Si Regum, & populorũ mores essẽt discreti, si ætates non absimiles, profectò nec pietas accesset in obsequendo, nec obsequium in bene interpretando. quapropter necesse ẽst ut secundum rerum, & personarũ uarietates conditionum consilia, & remedia suggerãtur, & secundum morborum qualitates antidota prçparẽtur. varias.n. vices res obtinent mortalium.

Liu. c.39

Reg 3.c.4.

De Hiacinto, & purpura, vermiculo, & bisso factæ sunt vestes quibus indueretur Aaron. Salomonis familia triginta millium personarum erat, equorũ tam currilium, quã equestriũ numerus erat multus, rerum domesticarum gloria, & magnificentia vltrà quam credi possit; tantò ergo Sũmus Pontifex eo gloriosior apparere debet quanto excelsior est in dignitate, & officio; & cultus concessus (inquit Quintilianus) atque magnificus parit auctoritatem.

Lib.Inst.8

Refert Magister historiarum quod Alexander uidens Pontificem timuit, causamq; referens timoris ait Deum ita se vidisse vestitum. Et quidem rationi ualdè consentaneum est ut Summus Pontifex, qui orbis terrarum monarchiam tenet pro Christo in omni statu, et motu suæ excellentiæ, & dignitatis præferat maiestatem. Christus ab hoc uenerat in mundum ut tentaretur, pateretur, accusaretur, crucifigeretur, atque vt

inde

inde à mortuis resurgendo gloriosè exaltaretur: oportebat enim (ipse inquit) Christum pati & ita intrare in gloriam suam; quapropter sibi necessarium fuit vitā eligere degenerem, & seruilem; nam sicut inquit Apostolus. Si cognouissent nunquam regem gloriæ crucifixissent; eius tamen abiectio non erat suæ conditionis, aut personę defectus, quasi dignus non esset honore; sed peruersitas hominum denegantium honorem, glorificandus erat; at noluerunt homines impudentes glorificare. Hinc sancta Ecclesia ingenti lætitia recenset id quod factum est postquam misit duos ex discipulis suis dicens. Ite in castellum quod contra vos est, & inuenietis asinam, & pullum soluite, & adducite mihi, euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus, & adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, &c. quasi quod tunc secundum potestatem à patre acceptam sibi reuerentiā exhibendam esse, quam Phariseorū hypocrisis, & hebreorum inuidia niteretur occultare euidenti demōstratione, detexerit.

Quod si Christo debebatur gloria dum ambulabat pauper, & lugens in terris, quanto magis hodie dum gloriosus, & diues regnat in cœlis? Non præfuit Petrus in terris nisi postquam Christus assumptus est in cœlis: ergò Christi regnantis vices gerit successor Petri non merentis, non dolentis, non morientis. Christus enim iam non moritur (inquit Apostolus) mors

Luc.24
Cor.1.c.2
Math.21
Rom.6.

illi ultra non dominabitur, quod enim mortuus est peccato mortuus est semel quod autem uiuit, viuit Deo. Unde & D. Ioann. Dignus est agnus, qui occisus est accipere uirtutem & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Hinc victis inferorum portis, et terrenis paganorum, & infidelium tyrannidibus subactis; exultare debet Ecclesia, & de suis hostibus vndique parte uictoria, læta sublimi gaudere triumpho.

Apoc. 5.

Dum itaque Summi Pontificis maiestatem, et gloriam spectamus, atque ei omnem quem possumus erogamus honorem, beneuoli nobis ipsis effecti, in ardorē fidei catholicæ trahimur, & in eius desideriū ferimur, ad quem ingenti pectoris euulsu suspiramus, qui est Christus benedictus in sæcula.

De statu Cardinalium S.R. Ecclesiæ. Caput VIII.

CARDINALES *in Iure Pontificio existimat Alciatus exemplo ciuilium magistratuum dictos, nam præfecti, prætorij Asianæ diœcesios, & præfectus Aphricę eoquod maiores cęteris essent in libro Officiorum Theodosij Cardinales appellantur: cardinalis autem, & cardineus præcipuū significant teste Sipontino: et gl. super c. 2. de off. Archid.*

chid.t.24. Cardinalium exponit.i principalium; atque item D.Thomas prima 2.q.61.ar.1. Dicuntur etiã Cardinales secundum gl. ibidem à cardine: cardo autẽ idem significat quod summa rerum. Bud.in l.2. de or. iur. M.Tullius. In eo cardo rei vertitur (dixit) quod est ex hoc tota res pendet et Quinctilianus lib.12. Inst. Nam ut taceam de negligentibus quorum nihil refert vbi litium cardo vertatur. Cardines item Poli dicuntur duæ.s.cœli partes immobiles, siue puncta super quę vertitur vniuersalis mundi machina. Sępè etiã etiã Cosmographi quatuor præcipuas cœli regiones Ortum, Occasum, Septentrionem, Meridiem cardinales vocant; Et Astronomi quatuor cœlestis figuræ angulos à quibus magnam vaticinandi sumunt rationem domos cardinales appellant. Cardo quoque idem sonat quod regimen Ioan.de Plat. Idem similiter quod caput Arch. dist.22. Sacrosancta; quod est Ecclesia Romana quę caput est aliarum Ecclesiarum 25.q.6.§.vlt. C.de Sum Trin.l.inter. Archid.16. Sicut (inquit) domus habet ostium, & cardinem, sic Ecclesia habet Papam, qui est ostium Dei, vel Ecclesiæ; & Cardinales qui sunt cardo super quem fundatum est ostium tale. Leo nonus in Epis. ad Mich.c.32. dicit Clericos S.R. E. Cardinales vocari, quod Summo Pontifici proximè adhærent, qui est veluti cardo totius Ecclesiæ: assistunt enim Summo Pontifici tanquam coadiutores in executione officij Sacerdotalis, vt habetur in 6. de E-

lect. & elec. pot. t. 6. c. Fundamēta. & ideò Fel. in rub. de maior. & obed. vbi allegat Archid. & Host. dicit quod Cardinalium dignitas est maior post Papā, quacunque alia dignitate; nam Cardinales vnà cum Papa iudicant omnes, ipsi verò à nemine iudicantur. Propterea ab omnibus debent venerari quod olim mōstrauit Carolus quartus Imperator dum Cardinali eū visitanti in totum assurexit. Fel. 16. Si verò quidā arroganter contraueniunt sunt iustissimè puniendi l. sing. & in l sciant C. de off. diu iud. eoque magis rei sunt legis C. de domesticis, & protec. l. 1. qua dicitur Pœna sacrilegij similis erit si ijs honorificentia nōn deferatur, qui contingere nostram purpuram digni sunt existimati.

Sunt tamen duo genera hominum acriter sæuientiū in ipsos, atque strepentium; quorum vnum eorum est, qui statum Cardinalium damnant, ac professionem despiciunt, alterum eorum qui personis tam publicè, quā priuatim crimina obijciunt. Primi generis sunt heretici, qui quoniam hostes sunt acerrimi Ecclesiæ catholicæ, & Papæ, Cardinales verò sunt optimates Ecclesiæ & coadiutores Papæ ob id consequens est, vt eadem patiantur incommoda quæ Ecclesia, & Papę. Idcirco Caluinus de Cardinalibus inquit illud impleri qđ dictum est per Malachiam. Vos recessistis de via, et offendere fecistis in lege plurimos propterea ecce ego dedi vos contemptibiles, & uiles omni populo; Sed mer-

Mal. c. 2

cedem

cedem simulati auspicij accepit, quoniam mentita est iniquitas sibi.

Vidi ego simulachrum quodam e Germania allatum, opus absque dubio ex ære ab aliquo Lutherano, vel Caluinista hoc diabolico artificio fabrefactum: ex vna parte eminebat symulachrum gerens similitudinem Papæ, ex altera uero Cardinalis, hoc tamen inuersum præferebat histrionem, illud uerò (horribile dictu) demonem; adeò spiritu furoris agitantur, vt needum verbis, uerum etiam imaginibus, quæ ubique possunt circunferri, contra Summum Pontificem, & Sanctæ Ecclesiæ Cardinales suę maledictionis venena diffundere non erubescant.

Status itaque Summi Pontificis, & sacri Collegij Dominorum Cardinalium sibi collateralium fundatus est (inquit Ioan. de Gerson tract. de Stat. Eccles.) in Ecclesiastica Ierarchia subcælesti immediatè à Christo, nec humana institutione, seu præsumptione potest destitui: cui statui, qui pertinaciter derogat censendus est iuxta sacros canones hereticus, atque sacrilegus.

Suppetit modo consilium quod prudentissimè dedit Ietro Moisi. Stulto (inquiens) labore consumeris tu, & populus tuus, qui tecum est, vltra vires tuas est negociũ, solus illud sustinere non poteris; sed audi uerba mea, et consilia mea, & erit Dominus tecum. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinẽt vt referas, quæ dicuntur ad eum, ostendasq; populo cerimonias, Exod. 18

& ritum

& ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeăt; prouide autem de omni plebe viros potentes, & timẽtes Deum, in quibus sit veritas: & qui oderint auaritiă, et constitue ex eis tribunos, & centuriones quinquagenarios, & decanos qui iudicent populum in omni tempore; quicquid autem maius fuerint referant ad te, & ipsi faciliora tantum iudicent. Leuius quoque tibi sit partito in alios onere; si hæc feceris implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustinere, & omnis hic populus reuertetur cum pace ad loca sua: Quibus auditis Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat.

Certum est quod quando quis ad fastigium Pontificalis dignitatis assumitur non exuitur humană sortem; frustrà ergo labore consumitur si omnes causas tum Ecclesiasticas, tum seculares velit ad se intrare, quæ, quoniam omnes oppressi Sedem Apostolicam possunt adire 2.q.6.omnes & de for.cõp.c.vlt.ferè sunt infinitæ. Multa quoque sunt ambigua, quæ pruden tũ iudicio discernere oportet; ne videatur illud Salom. asspernari. Eccl.c.32 *Nihil sine consilio facias, & post factũ non pænitebis. In certis plerunque etiam decet consulere sapientes viros, ad tollendam quamcunque de cordibus plebium leuitatis suspicionem. Inde factum est quod Summi Pontifices pro fælici regimine catholicæ Ecclesiæ in sui adiutorium sibi certas personas deligere soliti fuerint, ac uiros graues, prudentes, ingenuos, magnificos, quales esse S. R. E. Cardinales. Satis est a prin-*

cipio

ciplo insinuasse. Quos, ne eorum conditio sit abiecta, vilipendatur auctoritas, atque exinde Ecclesia plurima patiatur incommoda decet seruorum, & ministrorum frequentiam, affluentiam diuitiarum, rerum preciosarum copiam, nobilium affectationem, rerum domesticarum elegantiam: Diuites enim & non pauperes sunt eligendi ad officia ciuitatis C. de decurion. l. subeunda; cum pauperum conditio despecta sit ff. de suspec. tut. & cur. l. tutor. quibus si alij abundant magis, alij minus meminisse eius debemus, quod legitur in Psal. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate; hæc quoniam à Deo data sunt, dicit enim Apostolus scribens ad Timoth. Qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendũ. nec prohibita cuique ex sui natura; quinimo in fauorem Christianæ fidei certis personis collata, argumenta non sunt ambitionis, & fastus, sed honoris, & potestatis.

Psal. 44.

Tim. 1. 6.

Ita Regina Hester quando ingressa est ad Regem, viditque eum residentem super solium regni sui indu-ctum vestibus regijs, auroque fulgentem, & preciosis lapidibus, corruit, et in pallorem colore mutato lassum super ancillam reclinauit caput: Ita Homerus quando despectum Vlissem fingit vilibus describit inductum vestibus, quando verò honoratum fulgentibus, & decoris.

Hest. c. 15.

Πρόσθεν μὲν γάρ δή μοὶ ἀεικέλιος δοάτ' εἶναι
Νῦν δὲ θεοῖσιν ἔοικε, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν

Odiss. 16.

Ante

Ante videbatur specie fœdissimus esse
Nunc diuis similis, magnus quos pascit Olympus.

Tract. de resp. in cib. pot. & vest. prel.

Ioannes de Gerson hoc modo per viam inquisitionis ratiocinando procedit. Pompam in vestibus, in ferculis, in seruitoribus aut quęrunt Ecclesiastici ad placendum Deo, vel vt proficiant proximo; vel ad Ecclesiæ honestatem, & auctoritatem. Non primum, quoniam verum est illud Hieronymi. Non tenera vestis, sed munditia mentis ornatum facit clericum; præterquam quod satis apparet plus placere Deo opera pietatis in quibus possunt expendi ea, quæ talis pompa requirit. Non secundum quoniam plus (inquit) scandalizat pompa clericorum ipsos laicos tam principes, quam alios, quam ædificet. plus ad indignationem, & murmur, & inuidiam eos concitat; quam ad amorē, et plus augent in eis auaritiam, & superbiam quā extinguāt. Non tertium quoniam honor debet dari in testimoniū virtutis non propter exteriores diuitias, uel ornatum; citat D. Bernardum in lib. de consid. ad Eugeniū sic loquentem. Tu Pastor procedis deauratus tam multa circūdatus varietate, oues quid capiunt? Si auderem dicere demonum magis quam hominum pascua hæc: sic faciebat Petrus? sic Paulus suadebat? Infert deinde sustentationem pomparum fieri nequire absque multis expensis, quæ trahunt sæpe ad quæstus mercenarios, & rapinas iniustas, ad fraudes, & curas graues; rursus inducere ad commessationes, detractiones, ebrietates,

tes, turpitudines carnis. Postremo concludit dicens: Quid sunt viri Ecclesiastici nisi quidam Eleemosinarij bonorum Ecclesiasticorum; & ipsorum non quidem domini; sed dispensatores? in quibus hoc solum pro se, & suis habent quo contentari eos mandat Apostolus, alimentis. s. & quibus tegantur. Atque ita sui oblitus Gerson; Sibi ipsique mendax factus eum statum mordet, quem prius defendendum susceperat ita inquiens in tract. de Stat. Eccl. Status prædictus potest, & debet rationabiliter resistere per viam appellationis aut aliàs, si aduersus prædicta voluerit aliquid de facto procedere, præsertim dum personæ de illo statu, subijciunt, se & statum suum debitæ regulationi sanctæ matris Ecclesiæ si forsitan aliqua fuerint in eis reformanda, & hoc agendo, necdum non scandalizant actiuè, vel peccant; sed merentur tanquam defensores iurium, non solum suorum personalium, vel Ecclesiæ particularis Romanæ, sed vniuersalis Ecclesiç, & ad utilitatem, honestatemque totius Reipublicę Christianæ, quæ consistit in suo decore membrorum maximè principalium. Sed esto.

Summa petit liuor, perflant altissima montes

Et D. Augustinus lib. 3. de Ciu. Dei. c. 10. Inuidia ex opulentia oritur, quam mala detractio sequitur.

Ouid. lib. 1. de rem amor. Augustinus.

Pompam itaque, siue ostentationem in vestibus, in ferculis, in seruitoribus non esse degenerem statui optimatum Ecclesiæ sufficienti demonstratione persua

deri potest exemplo Abraham. Isaac, & Iacob, qui diuites fecerunt auri, argẽti, pecorum familiæ multos tamen venturos ab Oriente, & Occidente, & non supra ipsos, vel extra ipsos; sed cum ipsis recubituros in regno cœlorum ille ipse, qui propter nos factus est pauper, cum verè diues esset, ueracissima promissione prędixit Moisis quoque Aaron, Iosue, aliorumque Iudicum, & Regum memoria, atque historia possent afferri. Et primitiæ vocationis gentium Reges fuerunt, qui uix nato Domino munera obtulerunt aurum, thus, & mirrham, aurum tanquam regi magno, thus tanquã Deo vero, mirrham sepulturæ eius. Et D. Ioan. in Apocal. conuersus vidit septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mammillas Lona aurea si verba placent Persij. Sat. 2.

Math. c. 18

Math. c. 2.

Apoc. c. 1.

Persius.

Dicite Pontifices in fręno quid facit aurum?

Cur ergo filius hominis in cęlo non zona pellicea, nõ vili, non coriacea, sed aurea præcinctus apparuit? nisi quia res preciosa est aurum; & ornatus exterior, ac apparatus notabilis argumentum est felicitatis, symboliũ benedictionis, & honoris probatio; Hinc Salomon in Eccles. Utilior est sapientia (inquit) cum diuitijs, & cum hęreditate, & amplius vidẽtibus Solẽ, quia quomodo umbra sapiẽtiæ sic vmbra argenti, et quod plus est scientia sapientiæ viuificabit habentem se. Vbi D. Ieronymus. Maioris est gloriæ sapiens cum diuitijs, quam

Eccle. 7.

Ieronymus

quam tantum sapiens; alij enim sapientia indigent, alij opibus; & qui sapiens est, & non diues, potest quidē docere quod bonum est; sed interdum non potest præstare, quod petitur, & idcirco ait, quia sicut umbra sapiētiæ ita umbra pecuniæ .i. quomodo protegit sapientia, sic interdum protegit, & pecunia. Dicit D. Gregorius. Sicut ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerū superbia nascitur, quæ impinguat mentem diuitis, dum eleuatur animus superbientis, unde in Psal. legitur. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. At propositio ista, neque de omni est, neque per se, neque necessaria.

Gregorius.

Psal. 72

Quod Apostoli pauperem, & despicabilem uitam duxerint, dictum est in præcedenti capite, quod nondū Christi fides confirmata erat testimonio vehemēti, qđ est testimonium sanguinis, & ideo ad horum tantum exemplar præfigens mentē D. Bernardus dicit ad Eugenium. Tu Pastor procedis deauratus tam multa circundatus varietate? sic faciebat Petrus? sic Paulus suadebat? singularis quidem increpandi licentia, quam quia ex cordis affectu prouenire sentiebat ad excusationem non distulit habere recursum. Quęso (inquit) sustine paulisper, & sustenta me; imò dà veniam non tā temerè; quam timidè hæc loquenti.

Bernardus

Lib. 4.

In omnibus talibus dicit D. Aug. non vsus rerum; sed libido in culpā est. quod igitur locis, & temporibus, & personis, conuenit diligenter attendēdum est, ne temerè flagitia reprehendamus, fieri .n. potest, ut sine ali-

De Doctr. Christ.

quo vitio cupidinis vel voracitatis preciosissimo cibo sapiens vtatur, insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum olus ardescat, & sanius quisq; maluerit more Domini pisce vesci, quam lenticula more Esau nepotis Abrahæ, aut hordeo more iumentorum.

Gregorius. *Et D. Greg. Scit redemptor noster, & in hoc itinere solatia venienti tribuere, & peruenienti ad ęternam patriam superna præmia reseruare; sic ei terrenę gloriæ adiumentum tribuitur. vt per hoc multiplicius ad cœlestia subuehatur.*

Bonifacius *Ita olim quondam Sacerdotes vt refert S. Bonifacius martyr. non aureis, sed ligneis vasculis, & calicibus utebantur Zepherinus autem Sextusdecimus Romanus Episcopus patenis uitreis missas celebrari constituit; deinde Vrbanus omnia ministeria sacra fecit argentea. In hoc enim sicut & in reliquis cultibus magis, & magis per incrementa temporum decus succreuit. Ecclesiarum de consecr. dist. 1. c. 43. Ergo quod pietas in inanimatis approbat; non indigne ferat in personis hypocrisis.*

Zepherinus.

Cur (inquam) viro Sacerdoti, quando Christi crucifixi, & pauperis personam agens purpura indutus, gemmis ornatus, & auro, ministris vndique cinctus mane offert ad altare Deo Patri sanctum, & immaculatum sacrificium corporis, & sanguinis eius, omnes vehementer applaudunt; eidem autē si sericis, si præciosis vestibus, si magno commeatu obsequentiū uelit

per

per diem incedere, etiamsi ex eis sit, qui Christi Regis, & Iudicis iurisdictione pollere nascuntur, pertinaciter insultant? an Sacerdotium dedecet, quod sacrificio irrogatur? absit. ablato.n. inquit Apostolus. Sacerdotio auferri necesse est, & sacrificium, & D. Augustinus: Ideo sacerdos, quia sacrificium.

Ex ep. ad Hebr. 7
Conf. lib. 10. cap. 43

Itaque, ut quisque noscat inquisitiuæ ratiocinationis Gersonis iudex esse resolutiuus, dico, quod Pompa, quam præferunt optimates Ecclesię in uestitu, & habitu Deo placet, dum non propriæ ambitionis studio; sed pro suæ dignitatis conditione, quę in Dei honorem tendit, atque decorem Ecclesię fiat. Sic Ecclesiast. de Aaron hyacinto, & purpura ornato inquit. Corona aurea super mitram eius expressa signo sanctitates, gloria honoris, & opus uirtutis, desiderio oculorum ornata.

Eccl. c. 45

Et quidem si uestitum ornatum non curat Dominus, cur in Euangelio *ei, qui sordida ueste ad nuptias inuitatus uenerat; Amice (inquit) quomodo hic intrasti non habens uestem nuptialem?*

Math. c. 22

In ferculis pompa, quoniam uoluptas est naturā insequens, circa ea bona, quæ hominis usui sunt dicata, nulla lege uetita, nihil enim dicit Christus Saluator noster quod intrat per hos coinquinat hominem; non solū Dei iniuriam excludit, uerum si fiat cum gratiarum actione, affert complacentiam; nam etiam de Salomone

Math. c. 15

legitur,

legitur, quod erat cibus eius per dies singulos triginta chori simile &c.

Reg. 3. c. 4. De Verb. Do. Ser. 4.

Unde D. August. lib. de Verb. Dom. Non cogātur (inquit) diuites pauperum cibis vesci, utantur consuetudine infirmitatis suæ; sed doleant aliter se non posse sustentari, si consuetudinem mutant, ægrotant. & D.

Gregorius.

Greg. in Hom. Super Lucam. Quisquis illicita nulla commisit, huic iure conceditur, vt licitis utatur, sicq; pietatis opera faciat, vt tamen si uoluerit ea, quæ mundi sunt, non relinquat.

In seruitoribus, & ministris, & dignitas officij, et rerum gerendarum ratio pompam postulat. Vidit propheta Esaia sedentem Dominum super solium excelsū, & eleuatum &c. millia milliū ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei, quod autem Deo non placet, vel prorsus à se abdicat, vel alijs lege prohibet; at constat (testis est Arist. in lib. Polit.) alios esse natura seruos, alios dominos.

Esa. c. 6. Apoc. c. 7

Aristot.

Secundò necdum officiunt proximis hac ostentatione & pompa prælati; verum tum exemplo meritorū, tum spe præmiorum proficiunt.

Iuu. Sat. 10.

Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas?

Quæ quantò maiora apparent, tantò mentem excitant ad studium consequēdi. De similibus autem præsumendum est, quod ob sua merita sint ad huiusce modi

digni-

dignitatis fastigia prouecti; extra de præsumpt.c. cum in iuuentute.& d.c. miramur.& dist. 40.c.1. Quod si inde dicatur scandalizari laicos tàm principes, quã alios; atque inde prælatos contemni; contemnendus est iste contemptus; nec extim scendum scandalum; quod ostendit Dominus quando Apostolis dicentibus, Scis quia Pharisei audito hoc verbo scandalizati sunt? respondit. Sinite illos ceci sunt, & duces cecorum; Et ipse nonne factus est Iudeis petra scandali? vnde Paulus Apostolus. Prædicamus inquit Christum crucifixum, Iudeis quidem scandalum gentibus autẽ stultitiam? Non ergo curandum est (dicit D. August.) qđ scandalizentur mali, curandum est quod non scandalizentur boni; quos indignatio non premit, murmur non obtundit, inuidia non torquet, quoniam sicut dicit Apostolus. Charitas benigna est, non indignatur, non agit perperam.

Math.c.15
1.Cor.c.1.
August.
Cor.13.13

Quod plus inde augeatur Auaritia, & Superbia; Suspicio est temerè iudicantis non delatio rectè sentiẽtis; diuitiæ enim cum humilitate esse posse affirmat S. Gregorius; & in Concilio Gangrensi dist. 30. Hæc scripsimus. Diuites cum iustitia, & bonis operibus non abijcimus. & Apostolus Paulus. Scio (inquit) & minus habere, scio & abundare vbique, & in omnibus imbutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati, omnia possum in eo qui me confortat.

Gregorius.
Phil.c.4

Tertiò multum confert ad honorem, & honestatem

Ecclesię hac prælatorum pompa; nam nulla est Respublica, quæ sibi multum non reputet populorum omniũ acclamatione, ac exterarum gentium, optimates suos, ac rectores, illustres haberi ingenuos, conspicuos; ducens proinde ipsis intentatis precio, precibus, minis, leges incolumes, & iura commodius posse seruari; hinc est quod secundum dignitatem solet augmentari vtilitas ff. de iud. l. si longius in fine. de donat. l. filius Ecclesia verò comparatur Reipublicæ C. de sacrosanct. Eccl. l ut inter diuinum.

Quæ postremò infert prædictus Ioannes de Gerson paucis inania redduntur, quoniã necdũ Ecclesiasticos prælatos, aut Cardinales; verũ etiam Principes Laicos, tam Imperatorem, quam Reges, Duces, cæterosq́; priuatos nobiles accusare videtur lasciuiæ, ebrietatis, detractionis, impudicitiæ, quandoquidem & ipsi pompam quærunt in vestibus, in ferculis, in seruitoribus, ac multò maiorem quam Ecclesiastici; id autẽ affirmare temeritati potius esset ascribendum, quam pietati.

Euripid in Hecuba.

Non enim ingenium grauis fortuna vitiat; Sed probum semper manet.

Confundantur qui pauperes Christo præferunt; qui dicunt. Vt quid perditio hæc? poterat enim unguẽtum istud venundari multum, & dari pauperibus. Intendant hypocritæ quomodo pauperum causam debeãt tueri, non præsumendo plusquã oporteat de egestate; ne reprehendendo diuitias, statum Ecclesiæ perturbẽt. Bona est

Mar. c. 14

na est paupertas, bonæ sunt diuitiæ; donat Deus diuitias, approbat paupertatem simul in unũ (inquit Propheta) diues, & pauper. Pauperes amat Dominus, diuites non declinat; Aliud est genus vitæ pauperũ, aliud diuitum.

Psal. 48

Plures ex sanctis Patribus quandoque acrius agũt in diuites, vitam pauperem sectantes securiorem; quãdoque mitius: Vidẽtes omnes ferè amare diuitias; pauperiem coacti sunt præferre; contumeliosè etiã tractantes diuitias: quæ quoniam zelo fidei, & pietatis facta esse nouimus, pertinaci verborum incursione, haud inuehimus. Periculum in diuitijs, periculum in paupertate. Diuitiæ sine pietate impedimenta sunt salutis. Paupertas sine modestia, nihil prodest. Utreque sine discretione, quæ omnium virtutum est mater 1. q. 1. præs. vilescunt.

Æterna ergo, ac diuina prouidentia factum est; vt in Ecclesia sint pauperes infirmi, ac debiles, fortes itẽ, diuites, ac potentes. Posuit enim Deus inquit Apostolus membra vnumquodque eorum in corpore sicut uoluit. Proinde gloria, & maiestas Cardinalium non ignit miseriam inopum, non intendit esuriem egenorum; liberam habent miserendi, & quibus volunt miseris succurrendi facultatem; non sunt puri rerum Ecclesiasticarum dispensatores, non dilapidatores; sunt usufructuarij, & reddituum, & censuum dominis & si tenẽtur ad aliquid, tenentur iure charitatis, non iure iustitiæ;

Cor. 1. c. 12

tiæ; Illud D. Bernardi. Quicquid vltrà alimenta, et quibus tegamur retinetur, rapina est, imo sacrilegium. atque illud, si vltra necessaria ad sui status conditionem prælati retinent, aliena rapere conuincuntur. dist. 42. c. 1. translatiuè debet intelligi, non propriè, ut quasi de rapina, & sacrilegio damnati teneantur ad restitutionem formalem rerum; (vbi enim iustitia non violatur, Sicut dicit Dominicus Soto, nulla inde restitutionis obligatio propriè emergit) quoniam de huiusmodi expensis in vanitates, & abusiones animum tortore quatiente conscientia reddituri sunt rationē, vsque ad minimum quadrantem; ita & translatiuè non propriè tales expensæ appellantur subtractiones pauperū, quoniam pauperes sunt futuri iudices. Si quæ in superfluitates, & luxus dissipauerint, quemadmodum dicitur, quod Regina Saba, & Niniuitæ populum Israel iudicaturi sunt, vnde D. Ieronymus. Facientes prælatos quæ non decet, multi iudicabunt.

De Iust. & Iur. lib. 4

Math. c. 12

Sic etiam D. Bernardus introducit pauperes dolentes, & conquerentes de similibus prælatis; qui. s. non ad honestatem Ecclesiæ, & eius vtilitatē, sed ad propriam concupiscentiam saturandam, his dant operam, & ideò optimè dicit D. August. quod in his non vsus rerum; sed libido in culpa est.

In Epist. ad Titum. c. 1

De Doctr. Chris.

Illud Dominicum consilium. Vade, & uende omnia, quæ habes, & da pauperibus, sicut non ad omnes spectat; ita non omnes decet: quemadmodum neque illud

lud Apostoli de Virginibus scribentis ad Corinthios. Cor.c.7
Quod enim in quibusdam dicit perfectionem, in omnibus arguit defectionem generis humani. Diuitię ergo Prælatorum Romanę Ecclesiæ non sunt subtractiones necessitudinum pauperum sicut inferre velle videtur mundanus ille atque lasciuus Poeta eo in cantico.

Fiamma dal Ciel, &c.

Sed conditiones sunt requisitæ ad incrementum, & conseruationem fidei catholicæ, atque adminicula necessaria regimini totius Reipublicę Christianæ. Idcirco Nicolaus Papa. Decet (inquit) ipsi Romano Pontifici per fratres suos Sacrosanctę Romanę Ecclesię Cardinales, qui sibi in executione officij sacerdotalis coadiutores assistunt, libera prouenire consilia, decet ipsius nullo modo vacillare iudicia, vt fratres ipsos nullus secularis potestatis metus exterreat, nullus temporalis fauor absorbeat, nullus eis terror immineat, nihil eos a veri consilij soliditate remoueat, quin (cum per ipsum Romanum Pontificem in quibuscunque negocijs contigerit eorum peti consilia in consulendo) per omnia liberè eidem Romano Pontifici in omnibus quę pro tempore imminent consulant, & assistant. C. Fundam

De quibusdam maledicis, & impostoribus non est cur multa repetamus, quicquid enim in talium buccam venerit (vt aiunt) solent temerè, arroganter, ac faciliter loqui; congrue autem dicit Apostolus, quod vnusquisque abundat in sensu suo. Rom.c.14

Viri religiosi, ueraces, & pij, sacrum specimẽ uirtutum appellant Reuerendissimos Cardinales, certò scientes nullum hominum genus in fidei pietate, & iuris æquitate, & uitæ honestate cœtui Cardinalium esse, aut prɇferendum, aut conferendum. Sunt euidentissima argumẽta pietatis tot sacra ędificia Romę munificentissima liberalitate ab ipsis constructa, tot templorum ornamenta expensis innumeris aucta, & quidem opera multò illustriora antiquorum monumentis, & quę hodie Romam reddunt quacunque alia ciuitate splendidiorem, tot religiosorum monasteria, tot hospitia pauperum, domus tot egenorum cum frequentia pupillorum, orphanorum, debilium, uiduarum, infirmorum, ab eis extructę, formatæ, seruatæ. Hi ut uerbis D. Bernardi utar stant uiriliter pro afflictis, & iudicant in æquitate pro mansuetis terrę, qui sunt cõpositi ad mores, probati ad sanctimoniam, mansueti ad patientiam, subiecti ad disciplinam, rigidi ad censurã, catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad unitatem, in iudicio recti, in consilio prouidi, in iubendo discreti, in disponendo industrij, in agendo strenui, in loquendo modesti, in aduersitate securi, in prosperitate deuoti, in zelo sobrij, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in hospitio non dissoluti, in conuiuio non effusi, in curia rei familiaris nõ anxij, alienę nõ cupidi, suę nõ prodigi, ubique & in omnibus circunspecti, minas Principum nõ pauent,

uent,

uent, ſed contemnunt, pauperes non grauant. Quorum ſermo ædificatio, quorum vita iuſtitia, quorum præſentia grata, quorum tandem memoria in benedictione eſt.

De Statu Epiſcoporum. Caput IX.

EPISCOPI *Græcis ſunt, quibus non ſolum oculis luſtrandi facultas; ſed etiam prouidentia, & præfectura mandata eſt, à qua ſignificatione Epiſcopi Eccleſiarum ſuperintendētes à Latinis dicuntur diſ. 21. c. 1. §. Epiſcopus, & 8. q. 1. c. Qui Epiſcopatū. iuxta quod Dominus dicit Prophetæ Ezechieli. Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael. Ordo verò Epiſcoporum quadripartitus eſt, in Patriarchis ſcilicet Archiepiſcopis, Metropolitis, atque Epiſcopis. Omnes tamen hi ordines vno, communique vocabulo Epiſcopi nominantur diſ. 21. c. Cleros. Quorum quanta ſit dignitas explicat Anacletus ead. diſt. c. 2. dicens. Ipſis quoque id eſt Apoſtolis decedentibus in loco eorum ſurrexerunt Epiſcopi, quorum ordinatio prætaxato debet fieri ordine, & modo, quo quis recipit eos, & verba eorum, Deum recipit, qui autē ſpernit eos, eum à quo miſſi ſunt, & cuius legatione funguntur, ſpernit, et ipſe indubitanter ſpernetur à Domino,*

Inn. lib. 1. myſ. miſ.

Ezech. c. 3.

Iſid. Ethim. 7. c. 12.

Anaclet.

quapropter de obsequio eis exhibendo, tam a laicis, quam à clericis cauetur c. Omnes 4. c. solitæ 6. c. Quod super 9. c. His quæ 11. & c. Dilecta de Maior. & Obed. dist. 93. c. 9. Qui suis c. 10. Ille proculdubio. 11. q. 3. c. Si autem. c. Quicunque c. Si quis verò. c. absit. Magna enim (inquit D. Ambrosius) est excellentia, & sublimitas Episcoporũ. atque ideo Plutarchus scribit apud Gentiles eos, qui religionis cultui præerant, quos Pontifices appellabant, quasi typum animæ in corpore humano tenentes super omnes mortales venerabantur, eisque subijciebantur.

In Pastorali.

Eorum status primariè, immediatè, & supernaturaliter institutus est à Christo, & secundum sui primariam collationem ab eodem primis Apostolis datus, in quibus sicut in suis successoribus habuit usum, vel exercitium potestatis sub Papa Petro, & successoribus eius tanquam sub habente, vel habentibus fontem plenitudinis Episcopalis auctoritatis, qui status perfectionis est, adeoque vt excellat statum religiosorum profitentium paupertatem, cum de statu religionis transeat ad statum prælationis Pontificalis. extr. nullus lib. 6. eo l. tit cum rationi. Clem. s. quod Ecclesia *non permitteret si minoris esset excellentiæ, & perfectionis, cũ de minori ad maius, non econtrà sit transitus. 93. dist. c. l. [illegible] C. quemadmodum mun. indi l. maioribus.*

Episcopi ius habent præsertim conficiendi corpus Christi; vnde Apost. ad Eph. Scribens. Et ipse (inquit) dedit

Ephes. c. 4.

dedit quosdam Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, et docto res ad consumationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi. Pastorum autem nomine potissimè Episcopi censentur. Ius item habent ministrandi sacramenta omnia ecclesiastica. Virgines, altaria, & ecclesias consecrandi. Chrisma conficiendi, & cum ipso confirmandi. Procurandi salutem animarũ, & spiritualia distribuendi. Populum docendi sacram scripturam. Et *prædicandi, cui ideo in consecratione tradito Euãgeliorum libro, sub forma præcepti dicitur. Vade, & prædica populo Deo. Parecianos, & minores prælatos instituendi. Beneficia conferendi. Oppressos releuandi, pauperibus prouidendi, monasteria tuendi. Discordantes concordandi. Excommunicandi. Errantes in fide, & moribus, & eos de quibus Apostolus Paulus scribit ad Titum qui contradicunt arguendi. Stipendia temporalia sibi sumendi; cum idem Apostolus dicat. Qui spiritualia seminat, non est magnum si temporalia metat. Quis enim militat suis stipendijs vnquam? Omnium denique negociorum* Ecclesiasti*corum curam* Episcopum *habere, decernitur in canon. Apostol. Itaque* Episcopi *inquantum* Episcopi, *quamuis propriè non sint de Romana Curia quoniam* Eccle*siam suam regulariter deserere non debent c. 2. ex gestis, et c. 9. qualiter de clericis non residentibus 7. q. 1. c. peruenit. c. placuit. c. propter. neque ex officio tenentur*

Dis 95
Dis 78.
11. q. 1
Dis. 6
Dis 88
3. q. 1
16 q. 7.
Dis 28. 82.
84. 86. 87. 12
q. 1 videntes.
Dis 90. 24. q.
3. corrip.
Tit. c 1.
Cor. 1. c. 7
Cor. 1. c. 9
Can. 31

Papæ

Papæ aſsiſtere ei præſentialiter inſeruientes; impropriè tamē poſſunt dici de curia eſſe, quatenus ſunt miniſtri S[illegible] Pontificis cui obedire, & fideles eſſe debent c. vlt. de exceſs. prælatorum extrauag. comm. 1. de pœnis; in cuius miniſterij, & fidelitatis recognitionē ſingulis annis iuxta ſacrorum canonum formam liminibus Apoſtolorum ſe præſentare tenentur diſt. 94. c. 4 atque inde non diſcedere ſine licētia Papæ extrauag. com. vt prælatorum 2. de maioritate, quæ omnia iuramento promittunt, quando recipiunt dignitatem à Papa. propterea de ipſis aliqua ſecundum acceptam propoſitorum normam dicere conueniens eſto.

9.q.1.c.1 *Nulli dubium eſt (inquit Alexand. Papa) quod boni à malis ſemper perſequuntur, & tribulantur, propterquod nos oportet humiliari ſub potenti manu Dei, vt liberet nos in tempore tribulationis; nam Diabolus non ceſſat circumire quærens quem deuoret, & quærere, quos ex fidelibus perdat, & maximè illos, quos ardentiores in ſeruitio Saluatoris, eique familiares inuenerit: familiares dico eos, quos ſacrari, & in ordine Apoſtolatus conſtitui Deus voluit. Igitur qui Epiſcoporum ſtatum vilipendunt, alij quidem de negligentia in curando grege ſibi commiſſo conqueruntur, alij de diſpenſatione bonorum Eccleſiaſticorum, quæ ab ipſis fieri ſolet quemadmodum quotidie perſpicimus, grauantur; alij verbis D. Ieronymi abutuntur, idq; valdè indiſcretè. Solus Epiſcopus incubat bonis, ſo-*

lus

lus utitur ministerio, solus uniuersa sibi vendicat, solus partes inuadit alienas, solus occidit uniuersos.

Et quidam Iurisconsultus affirmans principale munus esse Episcopi, ut diuina doceat, dicit, id hodie non facere, ne sit eis confusio, & ignominia Iesum crucifixum pauperem, & esurientem fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre Ecclesiæ Principes, quæ verba sunt D. Ieronymi dist. 35. ab ipso sanctissima intētione prolata, ab hoc autem peruersa mente subducta: atque ita indebita temeritate homines subdoli fallaci interpretatione vitæ genus Episcoporum peruertere non erubescunt, non perpendentes (inquit D. Gregorius) illud exemplum Mariæ, quia pro eo quod Moysi famulo Dei propter Æthiopissam detraxit, immunditia lepræ mulctata sit, & illud Psalmistæ. Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari; Et in lege diuina, quod legitur. Dijs non detrahes, & populi tui principi non maledices. Spieg. Epist. 11. t. 39 Psal. 104. Ex. c. 22

Quod Episcopi in suo officio negligentes esse non debeant, atque cauere illud, quod in tempore vindictæ Dominus per prophetam conqueritur, dicens. Pastores mei demoliti sunt populum, & non pascebant gregem meum pastores; sed pascebāt semetipsos decernitur dist. 83 c. vlt. dist. 84. in prin. 8. q. 1. c. olim. 10. q. 1. c. relata. et can. Apostol. 57. Episcopus, aut presbyter, qui negligentius circa clerum, vel populum agit, neque in pie-

tate eos erudit à communione segregato; Si verò in ea socordia perseuerauerit deponito; negligentia enim cũcta ladere dicitur in corp. auth. de quæs. coll. 6. et in ff. de verb. sign. l. 213. & l. latæ 223. in princ Lata culpa est nimia negligentia. ideò D. August. dicit quod decimus abusionis gradus est Episcopus negligens, qui gradus sui honorem requirit inter homines; sed ministerij sui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non custodit. Et quidem si qui sunt huiusmodi nota conuincendi, neccdum defendi merentur; verum acriter arguendi sunt; & puniendi.

Lib. de 12. Abus. grad.

Contingit aliquando Episcopis à suis diœcesibus abesse, Romæque præsertim quod ea communis est patria ff. ad municip. l. Rom. c. vlt. de foro comp. & forus vniuersalis Ecclesiæ, longam per annos moram trahere. Si sine causa probabili id faciunt, profectò circumueniri possunt, & negligentiæ accusari; nam Episcopi *in suis Ecclesijs residere tenentur extr de Cler. non resid. c. quia nonnulli. 7. q. 1. c. Si quis. & præter statuta Conciliorum Niceni, Lateranẽsis, Antiocheni, Sardicensis, Agathensis, Romani, Calcedon. Carthagin. & Summorum Pontificum Alexandri tertij, Cælestini, Innocentij, Nicolai; est decretum postremum sacri Concilij Tridentini, quo excusationibus derogatur Episcoporum, quouis gradu, & dignitate fulgeăt, qui personaliter residere in suis Ecclesijs nolint, nisi quando legitima adsunt impedimenta, nẽpe quæ causam probabilem*

babilem reddant: verum causæ probabilitas ex se insufficiens est, nisi adsit iudicium, consensus, & approbatio Papæ; circa quam si uelit esse facilis, grauari uidentur fortè, qui dicunt residentiam Episcoporum *in suis* Ecclesijs *de Iure diuino esse, & naturali, in hoc autem iure raro Papam dispensare, quod facit per interpretationem. Si rigidus econtra, qui de iure tantum humano, hoc est Pontificio affirmant esse residentiam Episcoporum, in his autem, quæ sunt de suo iure de facili Papam dispensare. Itaque non licere Episcopo a sua Ecclesia decedere præsentialiter; sicut neque pastori a suo ouili, Duci à castris, Nautæ à naui; de iure diuino cautum est, & naturali, quando s. periculum imminet subditorum; namque vt Christus dicit. Bonus pastor dat animam suam pro ouibus suis, & cum videt Lupum venientem non fugit, nec dimittit oues; quando uerò periculum non imminet, sicut si in loco tuto est nauis, castra similiter foueis circumunita, & muris, & ouile bene occlusum, non est necessaria præsentia nautæ, ducis, & pastoris; ita nec de iure diuino cautum est, nec naturali, quod Episcopo propter aliquod commodum temporale (dummodo causam probabilem faciat apud Summum Pontificē) & personale interesse, quod omnes naturaliter appetunt, non liceat decedere, & per lōgum tempus abesse præsentialiter; et si uirtualiter adesse tenetur, sicut Rex in regno; Siquidem de iure diuino, & naturali tenetur etiam abscens pascere, & custo-*

Ioan. c. 10.

dire gregem suum, & solicitè regere sibi commissos, quod commodè fieri per subrogationem ministrorum, & superintelligentiam negociorum ipsamet tot Politiarum, & gubernationum in mundo experientia docet; cum & hoc modo Dux præsit absens castris, Nauta naui, Pastor ouili, Rex regno, Papa omnibus gentibus, & Ecclesijs. Imò si talis subrogatio, & super intelligentia negociorum diligēti moderamine fiat; profectò æquipollent personali residentiæ eius, quandoquidem satis compertum est hac regula, hoc ordine, Episcopos non hàc illàcque discurrendo, aut hic inde uagādo, sed domi manendo negocia omnia expedire, quid si procul recedā? quid si procul habitēt? difficiliùs quidem; at non impossibile; nonne quisque dummodo ei aliqua prudentiæ pars insit idoneus est per centum, & plura milliaria longè a se commorantium agere causas, tractare, decernere? hanc viam ingressi Apostoli, quando Christianam fidem ciuitatem vnam, vel populum imbuerant ad alium diuertebant; huius rei argumenta sunt Epistolæ D. Pauli, & aliorum Apostolorum quæ quotidie leguntur in catholica Ecclesia. Sed hactenus.

Sunt qui dicunt Episcopos *decere id uitæ genus sequi, eamque simplicitatem, ac diligentiam sectari, quā circa officia, pietatis, humilitatis, & patientiæ in subditos sanctos Apostolos, &* Episcopos *primitiuæ* Eccle*siæ legimus professos fuisse; quales vero fuerint primitiuæ*

tinæ Ecclesię Episcopi Apostolus annuit scribēdo ad Titum. Non superbi, non iracundi, non vinolenti, non turpis lucri cupidi; sed hospitales, benigni, sobrij, iusti, Dei dispensatores, in omnibus prębentes exempla bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate. Tales itaque debere esse Episcopos nostri temporis, non est qui neget. Insuper erant pauperes, simplices, vitam miseram, & seruilem ducentes, proprijs manibus esurientibus cibum, et sitientibus potum dabāt, pergebant ipsi ad carceres, & infirmos domatim visitabant, cursitabant per plateas, si quos hospites inuenissent, ut colligerent, pupillos, & viduas aliosue oppressos consolabantur, corpora mortuorū etiam si quando opus fuisset super proprios humeros imponere sepulturæ credebant, omnia tandem, quæ in sui officij executionem, & pietatis exemplum requiri existimabant personaliter exequi non dedignabantur; omnia autem opera hęc, opera Christianę pietatis esse, & nostræ saluti necessaria non esse prӕter hęreticos, qui ambigat fidelium.

Tit. 1. ca

Verum qui locum, tempus, & personas non attendit de facili in erroris labirinthum cadit dis. 29. Sciendum. & D. Greg. Modus (inquit) est temporis, vt statum non habeat mansionis: idcirco, quę ad officium aliquorum pertinet, quoniā eorum exercitium spectat ad virtutem prudentiæ, qua personarum, & temporum inuiolabiliter non seruant naturam officij, & di-

Mor. lib. 4. c.

gnitatis,

gnitatis, inde fit quod aliquando aliquid licet, aliquando non, aliquando expedit, & aliquando non, nec ideo rei natura; sed modus rei mutatur.

Itaque nostrorum seculorum Episcopi *eandem dignitatem, & potestatem habent, quam habuerunt Apostoli dis. 2 1. c. in nouo, & Episcopi primitiuæ Ecclesiæ; idem quoque officium; sed non idem officij exercitium, & modum. Episcopus in primitiua Ecclesia in sui adiutorium non expediebat inuocare milites, satellites, aliosque huius generis ministros; hoc verò tempore ad arcendam iniquorum violentiam non expediret nō inuocare. In prima Ecclesiæ ætate ob ministrorum* Ecclesię, *& Christianorum paucitatem, & persequentiū crudelitatem, commodè poterant Episcopi personaliter exercere omnia officia pietatis, dignitatemque suā quātum in se erat conseruare; & quoniam eorum seculorū Christiani ad nutum obtemperabant, suisque Episcopis tanquam Deo parebant non erat necessaria summa iuris, aut (vt ita dicam) rigorositas debitæ potestatis, prout nunc (proh dolor) necessarijssima est, ob arrogantiam multorum, qui in dies magis, ac magis onus leue Christianæ pietatis rebelli ceruice detrectant; atq; aduersus Dominum cornua tollunt; idcirco hodie necessaria sunt quoque tutamina iuris, & potestatis adminicula, quæ sunt honor, gloria, grauitas, magnificentia, rerum, seruorum, ministrorum copia; humilitas enim nimia prælatorum contemnitur dist. 8 6. quando*

do

de. ff. de off. præf. obser.

Inde expedit Episcopos munera præfata tam dignitatis, quam personæ non per seipsos; sed per alios i. per clericos, per simplices Sacerdotes, per Curatos, quorum copia haud deest, exequi, in quorum prouisione, & subrogatione, nouimus esse diligentissimos; debet enim E-*piscopus partiri onera sua extr. de off. Archip. c. vlt. et ideò dist. 8 8 . c. 7 . decernitur, vt Episcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, ac peregrinorum, non per seipsum; sed per Archipresbyterum, aut Archidiaconum agat; est enim regula iuris. Consequitur quis per alium, quod nō potest per se. ff. de sta. ho. l. Imperator. & Per alium quis habet, quod per se habere non potest. de in ius voc. l. quæsitum. de priuil. cred. l. 2. de verbo obl. l. mora. de vsur. l. cum quidam.*

Eodem modo dicendum est de munere prædicandi Verbum Dei, quod alijs ministerium hoc potest licitè demandare Domini exemplo, qui designauit discipulos septuaginta duos, dicens: Ite, & prędicate Euangelium omni creaturę; non enim, ut inquit D. Card. Bellar. Epi*scopus solum est nomen officij; sed dignitatis, & potestatis regendi homines in spiritualibus, & diuinis proinde imperandi, & puniendi; quia ergo* Epi-*scopus plurimas solicitudines habet, easque arduas, atque difficiles; his personaliter præpeditus Verbo Dei insistere non potest; sed inquit Ioan. de Gers. Principale non debet omitti propter accessorium, officium autem*

De Rom. Pōt. lib. 3. c. 16.

In Serm. in Conc. Remēs.

prin-

principale Episcop, officium prædicandi est, de necessitate annexum pastorali dignitati, quod confirmat Apostolorum responso, dicentium. Non est æquum nos relinquere verbum, & ministrare mensis. Act. c. 6. *Respondeo. Licere principale omitti propter accessoriũ, quando principalis executio impedit multorum accessoriorum executionem, quæ necdum æquipollent principali, verum longè superant, & quorum executionem non expedit alijs demandare quemadmodum principalis. dicit autem præfatus Ioannes 3. Prou. ibidem. quod plus solicitudinis, & temporis apponet aliquis prædicator Verbi Dei in vno Sermone ritè componendo, retinendo, et pronunciando, quam aduocatus vnus per multos dies pronunciando. Si ergo* Episcop*us velit, vt decet, ad habendum populum ad audiendum paratum officium exercere prædicationis plus habebit oneris, quam ferre possit in subeundis alijs muneribus ad suam dignitatẽ spectantibus, quæ non ita facile sunt aliorum iudicio committendi, quemadmodum officium prædicationis; constat enim ob librorum copiam, & multoties repetitam rerum credendarum fidem, qualis adhuc non erat prima ætate* Ecclesi*æ factum esse ab omnibus tam clericis, quam laicis mediocriter instructis, comparabile.*

Causa, quam adducit ille Iureconsultus, quæ est vt non sit confusio, & ignominia Christum crucifixum, pauperem, & esurientem fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque

que ora proferre; nullam æquitatis habet formam; non .n. tantum prædicamus Christum crucifixum, verum enimuerò glorificatum; non tantum in deserto esurientem; sed etiam in domo publicanorum, conuiuantem, & inter nuptias sedentem, non tantum pauperem, & despectum, verum quoque à magis adoratum, auro, thure, & mirrha donatum. Sacerdotem magnum, regem regum, & dominum dominantium.

Habet Christiana Ecclesia *suarum obseruationum tempora distincta; confessio est his, & ignominia, qui Ieiunia dum prædicant, & extollunt, ipsi nunquam ieiunant; his itē qui dum patienter tribulationes suadent debere sufferri. ipsi in tribulationibus deficiunt, Christumque crucifixum blasphemant; his similiter qui dū laudant mirum in modum paupertatem, nec micas panis, quæ de sub mensa cadunt, & verruntur, pauperibus erogant: ergo ad istos si qui sunt hac nostra ætate (quod Deus auertat) verba D. Ieron. sunt referēdas quemadmodum, et illa, solus* Episcopus *incubat bonis, solus vtitur ministerio, solus vniuersa sibi uendicat, solus inuadit partes alienas, solus occidit uniuersos; loquitur enim, ut loco præallegato constat, de quodā Episcopo lucri cupido, ac fero, proinde tantæ dignitatis indigno.*

Quantum verò spectat ad dispositionem bonorum Ecclesiasticorum, existimo omnibus notū esse, quod antiquioribus seculis bona Ecclesiæ, *nō erant diuisa à bo-*

De Statu Pręposito rum negociorum Romanæ Curiæ. Caput X.

PRæpositos negotiorum Romanæ Curię apud omnes semper fuisse, magnæ auctoritatis, & existimationis ipsis cõcessa priuilegia, quæ in libris Legum tum canonicarum, tũ ciuilium passim leguntur, demonstrant. Ordine distinguuntur ad inuicem, officio, & dignitate; Secus finitione, nam aut sũt iudices, aut iudicum ministri. Iudices dicũtur, qui ius dictant populo, siue qui iure disceptant 23.q.2.c.1. Iure autem disceptare est iustè iudicare, non enim est index, si non est in eo iustitia. Isid.

Eth.lib.10. 23.q.2.iustũ

Sunto ergo Iudices Romanæ Curię, qui in ea ius habent super causas litigiorum cognoscendi. Ministri uerò iudicum à ministerio iuris dicti, qui iura ministrant, & rationes iudicibus.

Horum status adeò necessarius est Reipublicæ, ut sine ipsis diu consistere nequeat, nã ut inquit D. Aug. Regna sine iustitia quid sunt nisi magna latrocinia? Iustitia autem sine tutore, sine interpellatore, sine iudice, quidnam efficit? Parum enim est (inquit Pomponius) ius in ciuitate esse, nisi sint, qui iura reddere possint. ff. de or. iur. l. 2. & Leo Imp. & Anthemius. Non minus (inquiunt) prouident humano generi ad-

De Ciu. Dei lib.4.c.4.

uocati, quam si prælijs, atque uulneribus patriam, parentesque seruarent. & Imper. Anastasius; Laudabile, vitaque hominum necessarium aduocationis officium C. de Adu. diu. Iud. l. aduocati l laudabile. Gl. tamen in marg. Sacerdotes l. 1. de iust. & iur. ff. modum excedit in dicendo quod Iudices, & Aduocati rectè legibus vtentes iustius viuunt, quam religiosi: cum cõstet religiosorum statum longè, latèque præcellere statum Iudicum, & Aduocatorum. honore, officio, & potestate; quandoquidem hi humanas, illi verò diuinas leges tractant.

Sicut igitur status horum est honorabilis, ita cõuersatio debet esse fidelis in reddendo s. vnicuique bona, & simplici fide, quod suum est, non ad spoliationẽ, sed correctionem, non ad corruptionem, sed ad ædificationẽ; non ad multiplicandum lites, super lites, & ut ait Policratus, spem victoriæ victis promittere, adducendo innumera fallaciarum repabula, & astutiarum obstacula; sed ad compendiosum pacis stabilimentum attendere.

Policratus

Quoniam itaque Roma cõis est patria, ut dicit Modest. tit. ad municip. & gl. in ff. de Iud. l. si legationis. Nemo est aduena Romæ, quod verum esse etiam hodie testatur Phi. Fran. in c. meminimus de appel. per c. cum expediat de elec. lib. 6. licet non sit amplius sub ditione Imperatoris, sed Papæ, idcirco Romæ quilibet conueniri potest; ex quo fit quod in Curia Romana innumeræ

causæ sunt quę tractantur, controuersiæ, & lites, quæ quoniam pro maiori parte, tum agi, tum terminari non possunt, vtraque parte subscribente; murmurationũ, & maledictionum materiam exhibent. Hinc Ioannes Mon. dicit quod est dicta Roma, quasi ROdens MAnus, vnde ponit versum.

Roma manus rodit, quos rodere non valet odit.

Licentiosè quidem; sed tamen ad propositum, duorum enim piget magnopere quos negociorum alienis distractionibus fatigatos exitus expectatio premit, vnũ est negociorum protractio, alterum pecuniarum continua solutio; inde de duobus solent maximè accusari iudices, & causidici; de negligentia s. in diffiniendo, & de auaritia in pecunia extorquenda, & ideò gloss. ff. de vsucap. l. sequitur Romam caput uocat auaritiæ. et Alex. de Angl. nomen Romæ ita syllabicè compilat Roma. i. Radix Omnium Malorum Auaritia.

Dectr. vit.

E*t quidem quod Iudices negligentes esse non debẽt; sed lites, & negocia quam properè terminare, cauetur c. 1 1. de sententia & re iud. & extrau. com. 1. de tregua, & pace. & in Auth. de man. Prin. col. 3. ff. de excu. tu. l. si duas & de admi. cu. l. cum plures, & l. properandum C. de Iud. pœna statuitur iudici malitiosè differenti expeditionem causarum. Propterea Ioan. de Gerson. litium prolixitatem pauperum spoliatricem uocat; atque inde pecuniam extorqueri cauetur 1 1. q. 3. non licet. 1 4. q. 5. non sanc. de vita, & honestate cler.*

In decl. de fl. vir. Eccl.

cum

Iudicium adhibemus obuijs, & expositis. Consilio vtimur in retrusioribus, ac dubijs. Patrocinium in defensionem præstamus. Hęc quia vsu constant, & labore precio comparantur: illud verò quia actus virtutis est precio interdicitur, & ideò D. Augustinus dicit, quod licet aduocato vendere iustum patrocinium, & iurisconsulto rectum consilium. & quamuis ibidem asserat non licere iudici vendere iustum iudicium; non negat tamen, quod non possit vendere suos ante actos labores, vnde possit viuere, & nisi ei sint certi prouentus assignati si excellens persona est, splendidè, ac honorificè viuere. Sicut etiam aduocato debet dari salarium pro facundia eius, & fori consuetudine gl. §. ait prætor l. 1. de post. Iniqua ergo est venditio iusti iudicij, præmium decens iusto iudici, iustitia enim præmiabilis est, non venalis.

Epist. ad Ma ced.

Secundò quod obijci solet negligentia est in Iudicibus, & causidicis, quæ quidem ex se grauis est defectus, imò magna negligentia culpa est, & magna culpa dolus ff. de ver. & re sig. l. magna. Sed rationabiliter sunt exculpandi, quandoquidem certi sumus plura negocia ab vno, eodemque tractari, vnum, idemque negocium à pluribus discuti, multas in se pati locorum, personarum difficultates vnde tempus triginta dierum, quod dicitur plenissimum ad deliberandum super quocunque negocio per text. & gl. in Auth. de appell. §. 1. coll. 4. non est sufficiens: & lex illa in C. de

Iud.

quod beneficium siue gratiam à Sede Apostolica impetrauerint; quorum præsumptio meritorum (nā de sublimato semper præsumitur, quod ob sua merita sit sublimatus extra de præsump. c. cum in iuuentute dis. 40 c. 1.) eorum statum laudabilem, & honorabilem reddit; nihilominus haud fugit instantiam maledicentiū, & quamuis omnes beneficiati nō sint de Romana curia, quia tamen in adeptione beneficiorum, & gratiarum ad Romanam curiam habent regressum, propterea de eis quātum spectat ad hanc partem aliqua sunt dicenda, & præsertim quoniam in nulla re tam vehementer, tam pertinaciter inculcatur Romana curia, quam in exactione pecuniarum, quæ fit in ipsa pro impetrandis beneficijs, & priuilegijs, & in vacationibus munerum obeundorum, & in solutionibus legum canonicarum, quæ dispensationes dicuntur.

Ex quo Romam esse caput auaritiæ annotauit Interpres in l. sequitur vers. pupillus ff. de Vsur. & Petrus Ferrar. dicit quod Camera Apostolica est mater pecuniarum, & quod Papa officiarijs cameræ concedit magnas, & gratiosas prærogatiuas, vt officia pluris emantur. & Petr. Iacob. dicit quod Curia est fundamentum auaritiæ, atque in hunc modum non attenditur diuinum mandatum. Gratis accepistis, gratis date. Gloss. item in prin. Clem. Atque (inquit) pecuniæ corradendæ causa primus (1. Ioannes 22.) beneficiorum electiuorum reseruationes, & taxas inuenit,

& Simoniacas, quas vocant annatas in vsum reuocauit, & citat Ptolem. de Luca in eius vita. et Lud. Gomez in proem. reg. cancell. Et Ioã. de Gerson in tractatu de Simonia vlterius, atque licentiose (vt solet) procedit dicens, quod Simoniaca labes contra ius diuinum, vel de simoniaca specie suspectum est in conferente beneficium Ecclesiasticum (etiam si sit Papa) exigere, vel extorquere à beneficiando promptam pecuniam sub titulo primorum fructuum, ac impedire possessionem, & officiationem suam, quousque soluerit illam pecuniam. Ex septem deinde suppositionibus quas adducit persuasum habet hãc conclusionem posse necessario deduci; at profectò toto cœlo errat, simul ac prorsus hi, qui similibus suasionibus quà non oportet diuertuntur.

Itaque an liceat necne pro impetratione alicuius officij, vel beneficij, vel gratiæ canonis, portionem aliquam pecuniarum exigi ab impetrante quisque planè nouerit, quum primũ sciat, quod Officium administratio est negociorum, & ecclesiasticarum rerum, vt docent Archid. in t. 1 de consuet. in 6. & Ant. in c. multa in 1 o. col. de præben. & Abbas in Clem. Impertitur autem officium quoniam alterum Spirituale est, vt officium Sacerdotis, & Episcopi, alterum ciuile vt officium præfecti vrbis, & prætoris, Camerarij, Auditoris, & similium.

Beneficium fructuum est perceptio sub cuius appel

latione.

latione veniũt dignitates, præbendæ, & omnes Ecclesiæ cum cura, & sine cura gl. de reg. iur. in. beneficiũ. porrò sub fructuum nomine non tantum quos terra profert l. fructus ff. de Re. vend. sed etiam & mercedes, & pensiones continentur l. prædiorum de Vsur. l. usuræ. de petit. hæred. cum concord. apud Albericũ; ac demum quicquid vtilitatis tam ex fructu, quam usu rei prouenit l. cum in rem ff. de re. vend

Gratia canonis dispensatio est canonicarum legum, vt colligitur ex annot. prior. Budei Duo itẽ sunt, quę intenduntur in officio, & in beneficio, vnum est vtilitas temporalis, & commodum, alterum dignitas, & potestas; quasi sit id formale vnius, & alterius, illud verò materiale: Idem quoque videtur esse dicendũ de gratia canonis nam ex solutione legũ præsumitur commodum temporale.

Propterea cũ hæc ita sint absque vllo dispẽdio ora possunt obstrui maledicorum si dicatur Exactionem *pecuniarum non esse licitam pro impetratione dignitatis, & potestatis, quæ si circa spiritualia, & sacramẽtalia versatur semper simoniaca est rẽsenda, nam huiusmodi sunt dona Dei, quæ pecunia possideri non possunt. Si verò circa temporalia, & ciuilia vrgẽte necessitate Ecclesiæ, vt bellorum occcasione, famis, & similium, licet Imperatores, Reges, Duces, et similes pecunia, & præcio creare nam horum dignitas, & potestas, non est potestas, aut dignitas sacramentalis,*

N 2 *qualis*

qualis est Episcoporum, & Sacerdotum, & curatorū animarum, quę si pecunia, & precio conferatur Simoniacæ labis excusationem non admittit, cum nullū spirituale, vel annexum vēdi poßit, aut emi de Iur. patr. c. de iure. de Iud. c. quanto. de pace cum pridem, & c. vlt. & 1 6. q. 7. decimas, & de Simon. c. ad nostram: & c. consulere; est autem dignitas quādoque annexa, & quandoque potestas, Dono Dei, quod ipsum solum purè, & simpliciter spirituale est, cum sit gratia, quæ est habitus animæ faciens nos Deo caros, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis: huiusmodi ergo quoniā Ecclesia gratis accepit, gratis dat.

Secus autem dicendū est pro impetratione fructuū, atque reddituum temporalium alicuius officij, & beneficij, nam in his licita est, & ad multas neceßitudines redimendas Romanæ Curiæ conueniēs exactio pecuniarum. Et si quis diceret talia etiam Ecclesiam gratis accepisse temporalia. s. fructus, & redditus. Respondeo. quod ideò non tenetur per hanc regulam gratis dare, nam regula tantum ualet in spiritualibus non in temporalibus, & ratio est, quoniam ex eorum collatione non minuitur conditio dantis; sicut fit ex collatione rerum temporalium de quibus quanto maius quis alteri præbet, tanto minus habet, & quāto minus dat, tanto maius habet:

Insuper si dicatur quod beneficium datur pro officio, & dignitate, & potestate, ergo qui tradit officiū,

dignitatem, & potestatem debet tradere ex consequē-ti beneficium, ius.s.recipiendi sustentationem uitæ tē-poralis, dignitatis, ac potestatis, Respondeo quod uerissimum est, & Apostoli auctoritate confirmatur dicentis. Quis militat suis stipendijs unquam? quis plantat uineam, & de fructu eius non edit quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Habeat officiarius suas partes non defraudetur stipēdijs suis, sua mercede, suo denario diurno, hoc enim decet, hoc conuenit, nam pro officio datur beneficium; at certi cēsus, certi prouentus annui, certi redditus de quibus nūquam locutus est Apostolus, quingentorum aut mille ducatorum non coæquantur mercedi necessariò consequenti officio conditionē, sed longè, latèque excedunt, & ideò si propter hos exigitur aliquid ab Ecclesia, *uel à Camera Apostolica, quæ est ærarium Ecclesię, & cuius dispositio plenaria est penes Papam, non alteratur officium, non auferuntur necessaria ad uitæ sustentationem dignitatis, & potestatis; nec status beneficiatorum uiolatur. Sed esto. Detur pro ueritatis examinandæ occasione, quod quodcunque beneficium sit annexum quomodocūque quis uelit officio, dignitati, & potestati, & hac de causa si uenale fiat ad Simoniam necessariò referri, cum nullum spirituale, uel spirituali annexum liceat emi, uel uendi, ut dictum est superius: an fortè unius annatæ obligatio, uel alterius similis exactionis sufficiens est mutare naturam rei, & uenalitium*

Cor. 1.9.

tium facere, quod uenale non est? nonne princeps bona concedendo obligationes etiam videtur concedere? ff. de ver. & verb. sign. l. princeps: nonne omnis uenditio fit conuenienti compensatione? & quis nescit tales exactiones per maximam distantiam nō attingere sortem principalem? Illa conditio do si des, vel do ut des, & econtrà, non do si nō des, tunc simoniacam sapit labem, quando per pactionem, siue principale, siue annexum sit precio compensabile, vel existimabile precio compensari; ita Petrus dixit ad Simonem. Pecunia tua tecum sit in perditionem quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.

Act.8

Quando similiter pactio respicit spirituale, uel annexum inseparabile, ut nisi des mihi quinquaginta denarios, non dabo Sacerdotium, & nisi dederis triginta non dabo altare, & nisi dederis decem priuabo te iure petendæ sustentationis vitæ tuæ ex altari. Secus autem nisi solueris centum non dabo prædium redditum mille, donatum Ecclesiæ cui te præficio, cuius plenaria dispositio penès me est, quoniam tu aliūdè habes vnde possis expetere alimenta, & sustentationem vitę; nam debet in spe, qui arat arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi.

Cor.1.9

Quò (inquam) iure vis edere de fructibus uineę quam non plantasti? Si præficeris gregi pascendo, de lacte gregis măduca, ius hoc tuum est, nihil exigo, quod superest cur tibi vendicas? cur publicum Ecclesiæ erarium

rarium defraudas? cur quod ibi est asportandum in alios vsus expendis? meum est, & mei iuris.

Dicas ergo, quod si quid ex his exigitur, datur; recognitionem esse doni, & iuris Papæ, quod si quis huic recognitioni non assentit, non est dignus dono, indigno autem, siue ingrato non debet dari beneficium, quod si est annexum dignitati, & potestati, dignitate quoque, & potestate est interdicendus, & si eam iam fuerit potitus priuandus; & si citra scandalum fieri nequiuerit, ut si exemp. gr. esset Episcopus, qui electus, & consecratus nollet, vel non posset soluere pro expeditione diplomatis, vel bullæ taxatam pecuniarū quātitatem, quoniam non amittit propter hoc dignitatem, vel potestatem siue Episcopatum, cogendus est ex redditibus siue præsentis, ac proximi anni, siue futuri assignati beneficij, ad soluendum: hinc facta est regula cancellariæ in ord. 38. quod intrans possessionem beneficij non leuatis bullis, perdit omne ius, etiam quod habeat signaturam.

Ex his ergo latè patet quod in exactione pecuniarum, quæ fit pro causis allatis non venditur donum Dei, non beneficentia Ecclesiæ, non dignitas, non potestas; sed quod exigitur, pro commodo temporali exigitur, atque vtilitate, quæ superfluit vltra sustentationem vitæ ex officio, in recognitionem iuris, quod habet Ecclesia: & ideò haud est ægrè ferendum, si quando exiguum soluitur pro magno consequendo.

In

Num. c. 18

In antiqua lege, decimę decimarum iubebantur offerri summo sacerdoti; pręceperat enim Dominus quod postquam Leuitæ acceperint à filijs Israel decimas, primitias eorum offerrent domino. i. decimam partem decimæ, & darent Aaron summo Sacerdoti. Hodiè uerò fit econtrà (dicit Gerson) nam primò exiguntur, & extorquentur, quam accipiantur. Hodie similiter si fortè supponit (vt videtur) aliter factam esse prouisionem sufficientem Papæ, ipsum non solum spoliat iure suo, verum videtur velle limitare suum, & suorum statum, quod non decet. Sed dicat quæso, vtra sit harum conditio mitior? an quolibet anno decimationem post acceptionem decimarum? an ante acceptionem semel tantum soluere? tenebantur Leuitæ olim ad decimationem quocunque anno, & ideò non erat incongruum de acceptis offerri, nostri verò beneficiati quoniam vna vice tantum tenentur ad solutionem (eius. s. generis, quale superius non coarctato respectu decimarum exaratum est) ad tollendam occasionem litium, ad liberam præstandam exequutionem officiorum, & ad maiorem cautelam Cameræ Apostolicæ, (talia enim de facili obliuioni mandantur) antequam recipiant, in acceptione bullarum iubentur soluere.

De

De Statu Familiarium Summi Pontificis, & S. R. E. Cardinalium. Cap. 12.

IN Romana Curia familiæ appellatione non solum continētur, qui nexu intimę seruitutis, ac necessitudinis sūmo Pontifici, Cardinalibusque sunt coniuncti, quales sunt Cubicularij, Secretarij, Auditores, & similes, verum quoque qui diuturna consuetudine ad eorum salutationes solēt admitti. Vtrosq; vulgus curiales siue Aulicos appellat; cęteros quos in leuissimis vsibus nouit esse mācipatos, non ita: curia.n. supra seruitutē addit honorē, & priuilegium; quod videntur annuere Imper. Valer. & Valens. C. de domest. & protect. Qui verò muneribus sordidis præficiuntur, nec honorē consequuntur, nec priuilegia honoris; nam priuilegia respiciunt conditionē personæ ff. de mili. test. l. militari. Horum itaque status quanto magis statui Reipublicę, & glorię Principum videtur congruere, tāto magis est omni genere gratitudinis acceptabilis: sed qm̄ alij sola animi tranquillitate moti, ac excitati desiderio uirtutis, fidei suæ obsequio contenti, seruiūt. alij econtra, sola spe inanis gloriæ ducti, ac proprijs tm̄ cōmodis intenti, non nisi fraudulēta simulatione densis cogitationum tumultibus se se in alicuius viri præclaris seruitutē redigūt, necnon ad fe-

licem (vt dicitur) inficiunt parietem. hinc fit quod multas in mentibus hominum honoris & laudis generat opiniones. Ego profectò uiros immortali laude dignos, existimo curiales eos, qui tùm prosperã, tùm aduersam sortem eius experti, in quem primum transtulerint iura suarum personarum, multas inde passi (pluribus interclusis temporum spacijs) rerum uarietates. Nulla vi, nulla prece, nullo colore ab eiusdẽ obsequio deterrentur. Seruitutis (quãuis duræ) constantia argumentum est euidens nobilitatis tam generis, quã uirtutis; oportet.n.morum ingenuitate, & naturæ suauitate præstare. prudentia item patientia, temperãtia, sobrietate, & fide, quẽ optime, atq; Ecclesiastico Principi, virtus mouerit ad seruiendũ; oportet ingenuũ, quẽ nulla deorsum trahat indigna affectio; oportet cautum, quẽ nulla subeat furtiua suspicio; oportet uigilem, quẽ nulla a se se abducat peregrina, & curiosa cogitatio; oportet firmum, quem nulla concutiat repentina turbatio; oportet inuictum, quem nulla fatiget tribulatio; vt inde gratus existat, laudetur, amplectetur, ametur, propterea Curiales qui.s. verè Curiales sunt, nobilium priuilegijs gaudere, atque etiam si obscuris natalibus sint nati inter uiros nobiles nomẽ habere, & locum; apparet ex C.lib.12 per totum; & de fil. & decur.

Seruire viro optimo seruitutis premium est. Fides gloriam præfert, patientia laudem, constantia splendorem; & quemadmodum est necessarius cibus animan

tibus,

tibus ,ut inde alantur , & uiuant; ita fides curialibus necessaria est, ut prosperentur; patientia, ut conseruentur; constantia, ut diligatur. Pendere ab ore uiri præstantis, inclyti, magni, Summi Pontificis, Cardinalis, manibus, pedibusq; adesse, fœlicitas est periucunda.

Horũ itaq; fœlicitas quãto magis inuidos afficit, tãto eos promptiores reddit ad maledicendũ, & uilitãdum. Qui carus est regibus (inquit Suetonius) uilis est sibi uia, uilis quies, uilis securitas, ociũ, atq; uirtus. Ostẽtationis nota Inuidiæ, & Adulationis Ste. Rob. Auiicos damnat. Et Seneca. Errat, qui in Aula quærit amicum. Et Policratus. Improbitas (inquit) curialium eo usque innotuit, ut de testimonio conscientiæ, de uenustate morum, de odore opinionis, de sinceritate causæ, de torrente eloquentia, nisi prætio interueniẽte, quis frustrà confidatur. eorumq; adulationis comites fingit dolum, fraudem, mendacium. Et Budeus. Quotus .n. (inquit) quisque est, qui modo in Aula interiore alicuius sit nominis, aut etiã ex eorum gente, qui in Aula præpotentes sunt, qui non se dignum censeat, quem propter leges, & constitutiones, quãtumuis graui sanctione munitæ uiolari debeant. Alij item de ocio, qđ multa mala doceat, & nefanda scelera perpetrare cõpellat. Alij de lasciuijs in cibis, in ludis, in uestibus. Quinimo Rodor Zamor. Septem funestissima uitia recensẽt, quæ in Aulicis reperiri affirmat; hæc sunt, uidelicet, Honorum ambitio, mendosa adulatio, fœda muuerum

Suetonius.

Seneca.

Policratus

Budeus l. 2. ff. de legib.

Lib. 1. Spec. Hum. uitæ.

nerum receptio, Officiorum venditio, Simulata amicitia, versuta machinatio ad pauperes despoliandũ, uacatio commessationum, libidinum, uoluptatum. Sicq; dum in nimia inuectione hi omnes prodeunt, mentiendi crimen non effugiunt; at quoniam tales contumelię ex imò Acherontos gurgite erumpentes, sola turbinis violentia elationis intumescunt detrahentium; de facili transuadari possunt à viro bono, fideli, & pio, qui sciat gloriosius esse tacendo iniurias fugere, quam respõdendo superare; Fortasse graui harum periculo premi possunt, qui suæ mentis persuasione fallaci confortati, arbitrantur se posse pluribus dominis seruire, & breui temporum interuallo plurimum fauorem, & gratiam comparare: atque ita dum quemadmodum muscę, hinc inde aduolantes, reuolantesque hodie ab vno, cras ab altero suæ seruitutis vmbram cerni procurant, ambitionem, inconstantiamque latentem intus, foris ostendunt. atque dum debita non frustrantur compensatione, quicquid hodie honoris, & laudis acquirunt, cras amittunt. hinc Alciatus.

> Vana Palatinos, quos educat Aula clientes
> Dicitur auratis nectere compedibus.

Hos profectò necdum Curialium laudibus extolli decet, uerum et nomine priuari.

Sit nomen Domini benedictum.